M. TULLII CICERONIS

ORATIO

POST REDITUM IN SENATU.

RECENSUIT, SCRIPTURAE VARIETATEM ADIECIT, PROLEGOMENIS INSTRUXIT, ANNOTATIONIBUS ET SUPERIORUM INTERPRETUM ET SUIS EXPLANAVIT, DEFENDIT

HENRICUS WAGNER,
PHIL. DR.

LIPSIAE.

SUMPTUS FECIT LIBRARIA DYKIANA.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

POST REDITUM IN SENATU.

RECENSUIT, SCRIPTURAE VARIETATEM ADIECIT, PROLEGOMENIS INSTRUXIT, ANNOTATIONIBUS ET SUPERIORUM INTERPRETUM ET SUIS EXPLANAVIT, DEFENDIT

HENRICUS WAGNER,

PHIL. DR.

LIPSIAE.

SUMPTUS FECIT LIBRARIA DYKIANA.

Piis Manibus

Friderici Augusti de Pauly

Magistri sui

Viri immortalis memoriae

Qui perfectae eruditionis et verae humanitatis exemplar

Insigne quondam decus ac lumen fuit

Gymnasii regii Stuttgartiensis

Phil. Dr. Antiquarum Litterarum Professor Publicus

Ordinis Coronae Württembergicae Eques

Hunc libellum

D. D. D.

Editor.

[illegible]

Piis Manibus

Friderici Augusti de Pauly

Magistri sui

Viri immortalis memoriae

Qui perfectae eruditionis et verae humanitatis exemplar

insigne quondam decus ac lumen fuit

Gymnasii regii Stuttgartiensis

Phil. Dr. Antiquarum Litterarum Professor Publicus

Ordinis Coronae Wurttembergicae Eques

Hunc libellum

D. D. D.

[illegible]

Editor.

Praefatio editoris.

Editor huius libelli quum anno p. Chr. nat. 1852—53 in Bavarorum regis Academia Friderico-Alexandrina Erlangensi philologiae studiis se daret, Dr. C. Fr. Naegelsbach, prof. publ. ordin., M. Tullii Ciceronis orationem post reditum in senatu commilitonibus proposuit, quam ope codicis Erlangensis numquam antea collati denuo recognoscerent et addito commentario latino contra Marklandi et Wolfii suspiciones rite defenderent. Idem deinde vir doctissimus commentationem ab editore de ea re conscriptam dignam iudicavit quam praemio publice proposito ornaret. Hoc igitur talis viri iudicio fretus libellum denuo retractatum atque emendatum in vulgus etiam edere constitui.

Stuttgartiae ineunte mense Novembr.
MDCCCLVI.

Henricus Wagner,
Phil. Dr.

Prolegomena.

Duplex nobis nascitur disputandi materia. Primum enim enarranda videtur omnis de hac oratiuncula quae inter eruditos homines exorta est controversia: enumeranda argumenta quibus permoti alii negarunt Ciceronianam esse hanc orationem, affirmarunt alii. Deinde mentio erit facienda de subsidiis et adiumentis, quibus in recognoscendis verbis rebusque illustrandis usi sumus. Priorem vero disputationis partem paucis absolvendam existimavimus. Namque et longum nobis visum est et minime necessarium omnia huius orationis fata exponere. Longum autem ideo quod hoc qui facturus est non poterit non reliquarum etiam orationum, quae et ipsae Tullio abiudicatae sunt, habere rationem. Necessarium vero non visum est propterea quod quae de fide orationi habenda in utramque partem disputarunt doctissimi homines: Ierem. Marklandus, Ioann. Matth. Gesnerus, Fr. Aug. Wolfius: ea et omnibus nota sunt et exstant typis expressa: proinde non est quod a nobis hoc loco repetantur. Quid autem mirum est si Wolfii fidem illis orationibus abrogantis tantum valuit auctoritas, ut quin verum ille viderit a nullo fere illius aetatis philologo dubitatum sit? Quorum alii prorsus, ut aiunt, in verba magistri iurantes ne id quidem operae susceperunt, ut ipsi diligenter et assidue lectitando latinitatem earum inquirerent: alii legerunt illi quidem istas orationes, sed speciosioribus quam verioribus Wolfii argumentis in fraudem sunt inducti*).

Quem ad modum autem epistolae illae a Cicerone ad Brutum missae, quarum de fide vehementius etiam addubitatum erat, egregium nactae sunt latinitatis vindicem C. Fr. Hermannum, ita hae etiam orationes suos invenerunt patronos. Exstiterunt enim paucis abhinc annis eruditi homines qui vulnera a Marklando et Wolfio illis inflicta partim emendatione e praestantioribus codicibus petita sanarent, partim aliam quamdam non minus efficacem iis adhiberent medicinam. Ostenderunt enim utrumque et parum

*) Qui potissimum recentioris aetatis critici istas orationes damnandas censeant, qui tutandas si quis scirè voluerit, is evolvat Baehr Geschichte der Roem. Literat. edit. 3. tom. 2. §. 284. p. 274. Carlsruh. 1845. Bernhardy Grundriss der Roemisch. Literat. edit. 2. Halle 1850. pag. 599.

perspecta Ciceronis latinitate inductum et praeiudicata abreptum opinione multa his in orationibus nullo iure vituperasse *). Quorum ego hominum vestigia secutus — studio et ira vacuus — eam mihi ex illis defendendam sumpsi quam habuit Cicero, quum reversus ex exsilio senatui gratias egit. Neque vero id mihi sumo arrogantiae ut rem a me eo perductam arbitrer, ut nulla iam ne tenuissima quidem suspicio *νοϑείας* posset remanere. Quod tantum abest ut assecutus mihi esse videar, ut expediendis compluribus locis difficilioribus (quorum in commentariis mentionem feci) vires me fatear defecisse. Id igitur unum spectavi, id mihi proposui, ut argumenta Wolfiana ad infirmandam huius orationis fidem parum habere ponderis probarem, ut locorum in quibus ille haesit alios e codice Erlangensi emendarem, alios iniuria docerem ab eo esse vituperatos. Sed ne quis plus me quam praestare possem pollicitum esse existimet, assiduam in legendis scriptis Ciceronianis — orationibus praesertim — impendi operam quique proprius esset eius sermo diligenter observavi. Atque quod Wolfio negatum erat mihi contigit ut interpretum qui nunc vivunt doctissimorum uterer subsidiis, quorum opera mirum quantum adiutus sum in investiganda vera Tullii latinitate. Verum ne cui parum videar officio satisfecisse, omnem illam quam in damnandis his orationibus Marklandus et Wolfius ingressi sunt argumentandi rationem in fine libelli adumbraturum me esse polliceor quidque de ea iudicem explicaturum. Sed haec hactenus: pergamus ad alteram disputationis partem. Criticorum itaque subsidiorum in numero primum obtinet locum codex Erlangensis — numero 847 insignitus — quem quanta potui maxima cura ac diligentia contuli. Dignus autem est qui accuratius hic describatur. Est vero chartaceus, formae maximae, constans 294 foliis. Insunt in amplo volumine praeter alia Ciceronis scripta orationes hae: invectivarum in Catilinam libri IV: in Pisonem oratio: oratio invectiva in M. T. Ciceronem: oratio invectiva in Sallustium: de lege agraria libri III: oratio M. T. Ciceronis quam fecerat pridie cum a Romanis in exsilium missus est: oratio post reditum in senatu: oratio post reditum ad Quirites. Scriptum autum librum anno p. Chr. nat. 1466 in ipso codice proditum est comparatumque esse eodem anno in studio Heidelbergensi per Conradum Haunoltum qui praefuit abbas monasterio Heilsbronnensi (monast. beatae Mariae virginis in fonte salutis). Librum vero Heidelbergae non tantum comparatum sed etiam scriptum esse rectissime Halmius — cuius evolvas, si placet, libellum sic inscriptum: Zur Handschriftenkunde des Cicero, Programm des k. b. Maximiliansgymnasiums, München 1850, ubi plura etiam de hoc codice disseruit — inde coniecit, quod cum praestantissimo

*) Horum in numero praeter ceteros nominaverim Naegelsbachium qui quidem et in libro illo de sermone lat. multos harum orationum locos ab adversariis reprehensos feliciter defendit et pari successu praelectionibus suis interpretatus orationes de domo et pro M. Marcello Tullio minime indignas esse docuit.

codice Ciceroniano — Palatino nono qui Niebuhrio iudice eodem fere tempore scriptus videtur — ita consentit ut ex eodem exemplo transcriptum credas. Neque solum cum uno illo Palatino codice consentit Erlangensis, sed ceterorum etiam optimorum librorum: Erfurtensis, Pithoeani, Dresdensis: plerumque tuetur lectiones. Accedit quod nonnullis locis, qui vel in optimis illis quos memoravi libris manu scriptis valde turbati sunt, egregia ex hoc codice affertur medicina: quod emendationes aliquot a Wolfio aliisque criticis miro ingenii acumine excogitatae, ab editoribus adhuc neglectae, Erlangensis auctoritate prorsus comprobantur. Quo fit ut omnibus eum codicibus, quicumque antea praestantissimi sunt habiti, optimo iure anteponamus. Neque tamen caret interpolationibus et locis librarii culpa foede depravatis. Cuius rei testem citare mihi licebit Madvigium qui de virtutibus et vitiis huius codicis optime disseruit his verbis: „laudem et dignitatem, quae huic codici maxima debetur, habet omnem a genere et fide, id est ab antiquo et incorrupto exemplari, summa superstitione magis quam fide expresso sine ullo librarii conatu intelligendi quod non intelligeret. Peritiam veteris exemplaris recte legendi diligentiamque lente et caute scribendi magno opere desideramus. Nam primum verba saepe omisit, deinde mire notissimas voces et vocum terminationes perturbavit: compendia quaedam verborum frequentissimorum paene semper commutavit.“ Haec vero Madvigii verba quae leguntur in librorum de Finibus ab eo editorum praefatione — pag. 16 — nostrum in usum iure potuimus convertere, quandoquidem haec oratiuncula et libri isti eiusdem librarii manu sunt scripti. Longum autem est omnia quibus hic codex abundat menda enumerare: pauca quaedam, quae maioris momenti esse videbantur, in commentariis commemoravi eo consilio ut quot quantisque cum difficultatibus in recognoscenda hac oratiuncula conflictatus essem appareret, quo facilius si forte hac in re non nihil peccasset tiro doctiorum iudicum veniam impetraret. Qui quo commodius in arte critica quem ad modum versatus essem possent videre, adiecto apparatu, quem vocant, critico omnem attuli lectionis varietatem, quam ex Erfurtensi quidem apud Wunderum, ex aliis codicibus apud Garatonium et Beckium et alibi inveni enotatam. Editiones vero recentiores pari contuli diligentia itemque varias earum lectiones annotavi, omissis tantum modo deterioribus quae in vetustioribus libris olim vulgatae a nostrae aetatis criticis merito sunt deletae. Libri autem quos in manibus habui sunt hi:

I. M. T. Ciceronis orationes ex recens. J. G. Graevii ... editio novissima post Graevianam locupletior (edid. Garatonius) tomus VII. Neapoli 1786.

II. M. T. Ciceronis quae vulgo feruntur orationes IV. ... recognovit ... Fr. Aug. Wolfius. Berolini 1801.

III. M. T. Ciceronis opera edidit Christ. Dan. Beckius volum. IV. Lipsiae 1807.

IV. M. T. Ciceronis orationes XIII. selectae novis animadversionibus in usum scholarum illustratae a Beniam. Weiskio. Lipsiae 1807.

V. M. T. Ciceronis oratio post red. in sen. edid. et ... defendit Io. Aug. Savelsius Phil. Dr. Colon. ad Rhen. 1830.

VI. M. T. Cic. sämmtliche Reden kritisch berichtigt und erläutert von Reinhold Klotz. 3 Bände. Leipzig 1839.

VII. M. T. Ciceronis opera. nr. 15. edidit C. F. A. Nobbe. Lipsiae 1849.

VIII. M. T. Ciceronis scripta recognovit Reinholdus Klotz. Partis II. Vol. II. Lipsiae 1852.

His vero libris non in verborum solum usus sum recognitione, verum etiam magnam ex iis sumpsi partem eorum quae illustrandae orationis causa attuli in commentariis. Reliquum igitur est ut interpretis quo modo functus sim officio paucis exponam. Quod quale omnino esset quoque pacto omnibus ab partibus posset expleri didici praecipue ex praestantissimis Halmii commentariis. Huius itaque potissimum vestigiis ingressus et res et verba quantum opus esse videbatur, explanavi exemplisque illustravi undique conquisitis. Superiorum autem interpretum annotationes quae mihi quidem probarentur ut non dubitavi afferre, ita si quid quod interpretatione dignum esset silentio ab iis inveni praeteritum, diligenter id commentatus sum. Rerum vero in oratione narratarum historiam e Drumanni et Brückneri libris illustravi. Nec minus grammaticorum etiam habui rationem, ex quibus Reisigium in primis et Haasium atque Naegelsbachium*), elegantissimum illum quidem bonae latinitatis iudicem, consului saepenumero. In refellendis deinde adversariorum criminibus et calumniis secutus sum Savelsium et Klotzium qui acerrimi post Gesnerum Ciceronis exstiterunt defensores. Quoniam autem vituperatores isti ob singularem quamdam non nullorum locorum similitudinem ex aliis quibusdam orationibus haud dubie Ciceronianis a declamatore nescio quo effictam arbitrantur hanc oratiunculam, summa religione et fide locos illos simillimos non citavi solum universos, sed lecturis etiam ut gratificarer ad verbum transcripsi. Quorum qui amplioris erant ambitus quam qui exscribi possent, eos citasse saltem satis habui. Omni denique asseveratione affirmo nullam me difficultatem ab hoc vel illo interprete excitatam silentio praeterisse, quippe qui non nullas earum dignas iudicaverim de quibus adiectis, quos vocant, excursibus copiosius disputarem. Iam ut ad finem tandem disputationis veniam, homines literatos quicumque huius mei operis indices futuri sunt, ea qua decet modestia monitos esse velim vires potius quam voluntatem scriptori defuisse.

---

*) Idem etiam vir humanissimus, cui plurimum debeo, animadversiones aliquot mecum communicavit, pro quo beneficio debitas ei ago gratias.

M. Tullii Ciceronis oratio post reditum in senatu.

Cap. I.

§. 1. Si, patres conscripti, pro vestris immortalibus in me fratremque meum liberosque nostros meritis parum vobis cumulate gratias egero, quaeso obtestorque, ne meae naturae potius quam magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis. Quae tanta enim potest exsistere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis quo quisquam possit vestra in nos universa promerita non dicam complecti ornando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam rem publicam, qui patriam qua nihil potest esse iocundius, qui denique nobis nosmet ipsos reddidistis.

§. 2. Quod si parentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est, si deos immortales quorum beneficio et haec tenuimus et ceteris rebus aucti sumus, si populum romanum cuius honoribus in amplissimo consilio et in altissimo gradu dignitatis atque in hac omnium terrarum arce collocati sumus, si hunc ipsum ordinem a quo saepe magnificentissimis sumus decretis honestati, immensum quiddam et infinitum est quod vobis debeamus, qui vestro singulari studio atque consensu parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi romani honores, vestra de me multa iudicia nobis uno tempore omnia reddidistis, ut quum multa vobis, magna populo romano, innumerabilia parentibus, omnia dis immortalibus debeamus, haec ante singula per illos habuerimus, nunc universa per vos recuperaverimus.

Cap. II.

§. 3. Itaque, patres conscripti, quod ne optandum quidem est homini, immortalitatem quamdam per vos esse adepti videmur. Quod enim tempus erit umquam quo vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur, qui illo ipso tempore quum vi, ferro, metu, minis obsessi teneremini, non multo post discessum meum me universi revocavistis referente L. Ninnio, fortissimo atque optimo viro? quem habuit ille pestifer annus et maxime fidelem et minime timidum si dimicare placuisset defensorem salutis meae: postea quam vobis decernendi potestas facta non est per eum tribunum plebis, qui quum per se rem publicam lacerare non posset,

sub alieno scelere delevit, numquam de me siluistis, numquam meam salutem non ab iis consulibus qui rem publicam vendiderant flagitavistis.

§. 4. Itaque vestro studio atque auctoritate perfectum est ut ille annus quem ego mihi quam patriae malueram esse fatalem, octo tribunos haberet qui et promulgarent de salute mea et ad vos saepe numero referrent. Nam consules modesti legumque metuentes impediebantur lege non ea quae de me, sed quae de ipsis lata erat quum meus inimicus promulgavit ut, si revixissent ii qui paene haec delerunt, tum ego redirem: quo facto utrumque confessus est et se illorum vitam desiderare et magno in periculo rem publicam futuram si, quum hostes atque interfectores rei publicae revixissent, ego non revertissem. Atque illo ipso tamen anno quum ego cessissem, princeps autem civitatis non legum praesidio, sed parietum vitam suam tueretur, res publica sine consulibus esset, neque solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata, sententias dicere prohiberemini, caput meae proscriptionis recitaretur; numquam dubitastis meam salutem cum communi salute coniungere.

Cap. III.

§. 5. Postea vero quam singulari et praestantissima virtute P. Lentuli consulis ex superioris anni caligine et tenebris lucem in re publica Kalendis Ianuariis dispicere coepistis, quum Q. Metelli, nobilissimi hominis atque optimi viri, summa dignitas, quum praetorum, tribunorum plebis paene omnium virtus et fides rei publicae subvenisset, quum virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompeius, omnium gentium, omnium saeculorum, omnis memoriae facile princeps, tuto se venire in senatum arbitraretur, tantus vester consensus de salute mea fuit ut corpus abésset meum, dignitas iam in patriam revertisset.

§. 6. Quo quidem mense quid inter me et meos inimicos interesset existimare potuistis. Ego meam salutem deserui, ne propter me civium vulneribus res publica cruentaretur: illi meum reditum non populi romani suffragiis, sed flumine sanguinis intercludendum putaverunt. Itaque postea nihil vos civibus, nihil sociis, nihil regibus respondistis: nihil iudices sententiis, nihil populus romanus suffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis.

§. 7. Quo quidem tempore quum is excessisset qui caedi et flammae vobis auctoribus restiterat, cum ferro et facibus homines tota urbe volitantes, magistratuum tecta impugnata, deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi consulis fasces fractos, fortissimi atque optimi tribuni plebis sanctissimum corpus non tactum ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. Qua strage non nulli permoti magistratus partim metu mortis, partim desperatione rei publicae paulum a mea causa recesserunt: reliqui fuerunt quos neque terror nec vis nec spes nec metus nec promissa nec minae nec tela nec faces a vestra auctoritate, a populi romani dignitate, a mea salute depellerent.

Cap. IV.

§. 8. Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen

consulatus sui fore putavit, si me mihi, si meis, si vobis, si rei publicae reddidisset: qui ut est designatus, numquam dubitavit sententiam de salute mea se et re publica dignam dicere. Quum a tribuno plebis vetaretur, praeclarum illud caput recitaretur: ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset: totam illam, ut ante dixi, proscriptionem non legem putavit, qua civis optime de re publica meritus nominatim sine iudicio una cum senatu rei publicae esset ereptus. Ut vero iniit magistratum, non dicam quid egit prius, sed quid omnino egit aliud nisi ut me conservato vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret?

§. 9. Di immortales quantum mihi beneficium dedisse videmini, quod hoc anno P. Lentulus consul est! quo quanto maius dedissetis, si superiore anno fuisset! Nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem. Audieram ex sapientissimo homine atque optimo civi et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero numquam post Romam conditam excepto illo Cinnano tempore fuisse: quare meam causam semper fore firmissimam dicere solebat, dum vel unus in re publica consul esset. Quod vere dixerat, si id de duobus consulibus, quod ante in re publica fuerat, perenne et proprium manere potuisset. Quod si Q. Metellus illo tempore consul fuisset inimicus, dubitatis quo animo fuerit in me conservando futurus, quum in restituendo auctorem fuisse ascriptoremque videatis.

§. 10. Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, parvae, oppletae tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri nec sustinere nec capere potuerunt, non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores vestrae dignitatis. Quorum alter a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum consobrinum poscebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam non consules, sed latrones non modo deseruerunt in causa praesertim publica et consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio non solum suo, sed etiam vestro ceterorumque ordinum spoliatum esse voluerunt: quorum alter tamen neque me neque quemquam fefellit.

Cap. V.

§. 11. Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo cuius primum tempus aetatis palam fuisset ad omnium libidines divulgatum? qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare: qui quum suam rem non minus strenue quam postea publicam confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit: qui nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim praetoris nec multitudinem creditorum nec bonorum proscriptionem effugere potuisset. Quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem cum rei publicae detrimento quam quod intra moenia nefarius hostis praedoque versatus est: quo inspectante ac sedente legem tribunus plebis tulit: ne auspiciis obtemperaretur, ne obnunciare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Aelia et Fufia ne valeret: quae nostri maiores certissima subsidia rei publicae contar tribunicios furores esse voluerunt.

§. 12. Idemque postea quum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio supplex sordidata ad eum venisset quumque adolescentes nobilissimi cunctique equites romani se ad lenonis impudicissimi pedes abiecissent, quo vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrimas, verum etiam patriae preces repudiavit! Neque contentus eo fuit, sed etiam in contionem escendit eaque dixit, quae si eius vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus: se Nonarum Decembrium quae me consule fuissent, clivique Capitolini poenas ab equitibus romanis esse repetiturum, neque solum id dixit, sed quos ei commodum fuit compellavit, Lucium vero Lamiam, equitem romanum, praestanti dignitate hominem et saluti meae pro familiaritate et rei publicae pro fortunis suis amicissimum consul imperiosus exire ex urbe iussit: et quum vos vestem mutandam censuissetis cunctique mutassetis atque hoc idem omnes boni iam ante fecissent, ille unguentis oblitus cum toga praetexta quam omnes praetores aedilesque tum abiecerant, irrisit squalorem vestrum et luctum gratissimae civitatis, fecitque quod nemo umquam tyrannus, ut quo minus occulte vestrum malum gemeretis nihil indiceret, ne aperte incommoda patriae lugeretis ediceret.

Cap. VI.

§. 13. Quum vero in circo Flaminio non a tribuno plebis consul in contionem, sed a latrone archipirata productus esset, primum processit qua auctoritate vir! vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta: quod in cives indemnatos esset animadversum, id sibi dixit gravis auctor vehementissime displicere. Ubi vobis haec auctoritas tam diu tanta latuit? cur in lustris et heluationibus huius calamistrati saltatoris tam optima virtus tam diu cessavit? Nam ille alter Caesoninus Calventius ab adolescentia versatus est in foro, quum eum praeter simulatam fictamque tristitiam nulla res commendaret, non iuris studium, non dicendi, non rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas; quem praeteriens quum incultum, horridum maestumque vidisses, etiam si agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares.

§. 14. Cum hoc homine an cum stipite in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum negotium, Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus, quam impurus, quam intemperans non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus! Quum vero etiam litteris studere incipit et belua immanis cum Graeculis philosophari, tum est Epicureus, non penitus illi disciplinae quaecumque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis. Habet enim magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur, sed eos qui disputent horam nullam vacuam voluptate esse debere: in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versari.

§. 15. His utitur quasi praefectis libidinum suarum: hi voluptates omnes vestigant atque odorantur: hi sunt conditores instructoresque convivii: idem expendunt atque aestimant voluptates sententiamque dicunt et indicant quantum cuique libidini tribuendum esse videatur. Horum ille

artibus eruditus ita contempsit hanc prudentissimam civitatem, ut omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum in forum detulisset.

Cap. VII.

Sed me — quamquam me quidem minime — nam cognoscebatur a me propter Pisonum affinitatem quam longe hunc ab hoc genere cognatio materna transalpini sanguinis abstulisset — sed vos populumque romanum non consilio neque eloquentia, quod in multis saepe accidit, sed rugis supercilioque decepit.

§. 16. L. Piso, tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista fronte, non vita, tanto supercilio, non enim possum dicere tantis rebus gestis, cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae? Non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamistri notata vestigiis in eam cogitationem adducebat ut quum illius re similis fuisses, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius uti non liceret? Cum hoc tu coïre ausus es ut consularem dignitatem, ut rei publicae statum, ut senatus auctoritatem, ut civis optime meriti fortunas provinciarum foedere addiceres? Te consule, tuis edictis et imperiis, senatui populi romani non est licitum non modo sententiis, auctoritate sua, sed ne vultu quidem ac vestitu rei publicae subvenire,

§. 17. Capuaene putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiae fuit, consulem te esse, sicuti eras eo tempore, an Romae: in qua civitate omnes ante vos consules senatui paruerunt? Tu es ausus in circo Flaminio productus cum tuo illo pari dicere semper te misericordem fuisse? quo verbo senatum atque omnes bonos tum quum a patria pestem depulissem, crudeles demonstrabas fuisse. Tu misericors me affinem tuum quem comitiis tuis praerogativae primum custodem feceras, quem Kalendis Ianuariis tertio loco sententiam rogaras, constrictum inimicis rei publicae tradidisti: tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis reppulisti. Idemque tu clementia ac misericordia singulari quum ego una cum re publica non tribunicio; sed consulari ictu concidissem, tanto scelere tantaque intemperantia fuisti, ut ne unam quidem horam interesse paterere inter meam pestem et praedam tuam, saltem dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis.

§. 18. Nondum palam factum fuerat occidisse rem publicam quum tibi arbitria funeris solvebantur. Uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum consulem de Palatio, de Tusculano item ad vicinum alterum consulem deferebantur: quum isdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis atque inani foro, ignaro populo romano quid ageretur, senatu vero oppresso et afflicto, duobus impiis nefariisque consulibus aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur.

Cap. VIII.

Horum consulum ruinas vos consules vestra virtute fulsistis, summa tribunorum plebis praetorumque fide ac diligentia sublevastis.

§. 19. Quid ego de praestantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali cive satis digne umquam loquetur? qui quum sceleratum civem videret aut domesticum potius hostem, si legibus uti liceret, iudicio esse frangendum; sin ipsa iudicia vis impediret ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim vi esse superandam, primo de vi postulavit: postea quam ab eodem iudicia sublata esse vidit, ne ille omnia vi posset efficere curavit: qui docuit neque tecta neque templa neque forum neque curiam sine summa virtute ac maximis opibus et copiis ab intestino latrocinio posse defendi: qui primus post meum discessum bonis metum, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati.

§. 20. Quam rationem pari virtute, animo, fide P. Sestius secutus est, pro mea salute, pro vestra auctoritate, pro statu civitatis nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitae discrimen vitandum umquam putavit: qui causam senatus exagitatam contionibus improborum sic sua diligentia multitudini commendavit ut nihil tam populare quam vestrum nomen, nihil tam omnibus carum aliquando quam vestra auctoritas videretur: qui me quum omnibus rebus quibus tribunus plebis potuit defendit, tum reliquis officiis iuxta ac si meus frater esset sustentavit: cuius ego clientibus, libertis, familia, copiis, litteris ita sum sustentatus ut meae calamitatis non adiutor solum, verum etiam socius videretur.

§. 21. Iam ceterorum officia studia videtis: quam cupidus mei C. Cestilius, quam studiosus vestri, quam non varius fuerit in causa. Quid M. Cispius? cui ego ipsi, parenti fratrique eius sentio quantum debeam: qui quum a me voluntas eorum in privato iudicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem oblitteraverunt. Iam T. Fadius qui mihi quaestor fuit, M. Curtius cuius ego quaestor patri fui, studio, amore, animo huic necessitudini non defuerunt. Multa de me C. Messius et amicitiae et rei publicae causa dixit: legem separatam initio de salute mea promulgavit.

§. 22. Q. Fabricius si quae de me agere conatus est, ea contra vim et ferrum perficere potuisset, mense Ianuario nostrum statum recuperassemus: quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas vestra revocavit.

Cap. IX.

Iam vero praetores quo animo in me fuerint vos existimare potuistis, quum L. Caecilius privatim me suis copiis omnibus studuerit sustentare, publice promulgarit pro mea salute cum collegis paene omnibus, direptoribus autem bonorum meorum in ius adeundi potestatem non fecerit. M. autem Calidius statim designatus sententia sua quam esset cara sibi mea salus declaravit.

§. 23. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Crassi, Sex. Quintilii, C. Cornuti summa et in me et in rem publicam constiterunt. Quae quum libenter commemoro, tum non invitus non nullorum in me nefarie commissa praetereo. Non est mei temporis iniurias meminisse quas ego etiam si ulcisci possem, tamen oblivisci mallem: alio transferenda mea tota vita est, ut bene de me meritis referam gratiam, amicitias igne per-

spectas tuear, cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditores non vindicem, dolorem profectionis meae reditus dignitate consoler.

§. 24. Quod mihi si nullum esset aliud officium in omni vita reliquum nisi ut erga duces ipsos et principes atque auctores salutis meae satis gratus iudicarer, tamen exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Quando enim ego huic homini ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? Quae memoria, quae vis ingenii, quae magnitudo observantiae tot tantisque beneficiis respondere poterit? qui mihi primus afflicto et iacenti consularem fidem dexteramquae porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit: qui in me tanto amore, studio in rem publicam fuit ut excogitaret quem ad modum calamitatem meam non modo levaret, sed etiam honestaret. Quid enim magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit quam quod illo referente vos decrevistis ut cuncti ex omni Italia qui rem publicam salvam vellent ad me unum, hominem fractum et prope dissipatum, restituendum venirent? ut qua voce ter omnino post Romam conditam consul usus esset pro universa re publica apud eos solum qui eius vocem exaudire possent, eadem voce senatus omnes ex omnibus agris atque oppidis cives totamque Italiam ad unius salutem defendendam excitaret?

Cap. X.

§. 25. Quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere quam hoc, senatum iudicasse qui civis me non defendisset eum rem publicam salvam noluisse? Itaque tantum vestra auctoritas, tantum eximia consulis dignitas valuit ut dedecus et flagitium se committere putaret si qui non veniret. Idemque consul quum illa incredibilis multitudo Romam et paene Italia ipsa venisset, vos frequentissimos in Capitolium convocavit. Quo tempore quantam vim naturae bonitas haberet et vera nobilitas intellegére potuistis. Nam Q. Metellus inimicus et frater inimici perspecta vestra voluntate omnia privata odia deposuit: quem P. Servilius, vir quum clarissimus tum vero optimus mihique amicissimus, et auctoritatis et orationis suae divina quadam gravitate ad sui generis communisque sanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem ab inferis, socium rerum mearum, et omnes Metellos, praestantissimos cives, paene ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum Metellum cuius quondam de patria discessus molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem est visus.

§. 26. Itaque exstitit non modo salutis defensor is qui ante hoc suum beneficium fuerat inimicus, verum etiam ascriptor dignitatis meae. Quo quidem die quum vos CCCCXVII essetis, magistratus autem adessent, dissensit unus is qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die quum rem publicam meis consiliis conservatam gravissimis verbis et plurimis iudicassetis, idem consul curavit ut eadem a principibus civitatis in contione postero die dicerentur: quum quidem ipse egit ornatissime meam causam perfecitque astante atque audiente Italia tota, ut nemo cuiusquam conducti aut perditi vocem acerbam atque inimicam bonis posset audire.

Cap. XI.

§. 27. Ad haec non modo adiumenta salutis, sed ornamenta dignitatis meae reliqua vos idem addidistis: decrevistis ne quis ulla ratione rem impediret: vos graviter molesteque laturos: illum contra rem publicam salutemque bonorum concordiamque civium facturum, et ut ad vos de eo statim referretur, meque etiam si diutius calumniarentur, redire iussistis. Quid? ut agerentur gratiae qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem res quum redissent rogarentur ut pari studio convenirent? Quid denique ille dies quem P. Lentulus mihi fratrique meo liberisque nostris natalem constituit non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitiis centuriatis quae maxime maiores comitia iusta dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eaedem centuriae quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent.

§. 28. Quo die quis civis fuit qui fas esse putaret, quacumque aut aetate aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores custodesque vidistis? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti sumus in patriam ita ut non nulli clarissimi cives, sed equis insignibus et curru aurato reportati.

§. 29. Possum ego satis in Cn. Pompeium umquam gratus videri? qui non solum apud vos qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud universum populum romanum salutem rei publicae et conservatam per me et coniunctam esse cum mea dixerit: qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit eodemque tempore improbos auctoritate sua compresserit, bonos excitarit: qui populum romanum pro me tamquam pro fratre aut pro parente, non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit: qui quum ipse propter metum dimicationis et sanguinis domo se teneret, etiam a superioribus tribunis petierit ut de salute mea promulgarent et referrent: qui in colonia nuper constituta quum ipse gereret magistratum, in qua nemo erat emptus intercessor, vim et crudelitatem privilegii auctoritate honestissimorum hominum et publicis litteris consignarit princepsque Italiae totius praesidium ad meam salutem implorandum putarit: qui quum ipse mihi semper amicissimus fuisset, etiam ut suos necessarios amicos mihi redderet elaborarit.

Cap. XII.

§. 30. Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabor? cuius omnis actio, ratio cogitatioque, totus denique tribunatus nihil aliud fuit nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae? Quid de P. Sestio loquar? qui suam erga me benevolentiam et fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendit. Vobis vero, patres conscripti, singulis et egi et agam gratias. Universis egi ab initio quantum potui: satis ornate agere nullo modo possum. Et quamquam sunt in me praecipua merita multorum quae sileri nullo modo possunt, tamen huius temporis ac timoris mei non est conari commemorare beneficia in me singulorum: nam difficile est non aliquem, nefas quemquam praeterire.

Ego vos universos, patres conscripti, deorum numero colere debeo. Sed ut in ipsis dis immortalibus non semper eosdem atque alias alios solemus et venerari et precari, sic in hominibus de me divinitus meritis omnis erit aetas mihi ad eorum erga me merita praedicanda atque recolenda.

§. 31. Hodierno autem die nominatim a me magistratibus statui gratias esse agendas et de privatis uni qui pro salute mea municipia coloniasque adisset, populum romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam quam vos secuti mihi meam dignitatem reddidistis. Vos me florentem semper ornastis: laborantem mutatione vestis et prope luctu vestro quoad licuit defendistis. Nostra memoria senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant: in meo periculo senatus veste mutata fuit quoad licuit per eorum edicta qui meum periculum non modo suo praesidio, sed etiam vestra deprecatione nudarunt.

§. 32. Quibus ego rebus obiectis quum mihi privato confligendum viderem cum exercitu eodem quem consul non armis, sed vestra auctoritate superaram, multa mecum ipse reputavi.

Cap. XIII.

Dixerat in contione consul se clivi Capitolini poenas ab equitibus romanis repetiturum: nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur: aditus templorum erant non solum praesidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. Alter consules ut me et rem publicam non modo desererent, sed etiam hostibus rei publicae proderent, pactionibus eos suorum praemiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos magnoque exercitu, quem ego inimicum mihi fuisse non dico, tacuisse quum diceretur esse inimicus scio.

§. 33. Duae partes esse in re publica quum putarentur, altera me deposcere propter inimicitias, altera defendere timide propter suspicionem caedis putabatur. Qui autem me deposcere dicebantur, hoc auxerunt dimicationis metum quod numquam infitiando suspicionem hominum curamque minuerunt. Quare quum viderem senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim relictum, servos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos, copias omnes Catilinae paene isdem ducibus ad spem caedis atque incendiorum esse revocatas, equites romanos proscriptionis, municipia vastitatis, omnes caedis metu esse permotos, potui, patres conscripti, multis auctoribus fortissimis viris me vi armisque defendere, nec mihi ipse ille animus idem meus non incognitus defuit. Sed videbam si vicissem praesentem adversarium, nimium multos alios mihi esse vincendos: si victus essem, multis bonis et pro me et mecum etiam post me esse pereundum, tribuniciique sanguinis ultores esse praesentes, meae mortis poenas iudicio et posteritati reservari.

Cap. XIV.

§. 34. Nolui quum consul communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere, bonosque viros lugere malui meas fortunas quam suis desperare: ac si solus essem interfectus, mihi turpe, si cum multis, rei publicae funestum fore videbatur. Quod si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer, morte me ipse potius quam sempiterno

dolore multassem. Sed quum viderem me non diutius quam ipsam rem publicam ex hac urbe abfuturum, neque ego illa exterminata mihi remanendum esse amplius putavi et illa simul atque revocata est, me secum pariter revocavit. Mecum leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitas omnis et religiones afuerunt. Quae si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem quam desiderarem meas: sin aliquando revocarentur, intelligebam mihi cum illis una esse redeundum.

§. 35. Cuius mei sensus certissimus testis est hic idem qui custos capiis fuit, Cn. Plancius, qui omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis totam suam quaesturam in me sustentando et conservando collocavit. Qui si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco esset: nunc certe erit in parentis, qui fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei.

§. 36. Quapropter, patres conscripti, quoniam in rem publicam sum pariter cum re publica restitutus, non modo in ea defendenda nihil imminuam de libertate mea pristina; sed etiam augebo.

Cap. XV.

Etenim si eam tum defendebam quum mihi aliquid illa debebat, quid nunc me facere oportet quum ego illi plurimum debeo? Nam quid est quod animum meum frangere aut debilitare possit, cuius ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiam divinorum in rem publicam beneficiorum testem videatis? Nam et importata est quia defenderam civitatem, et mea voluntate suscepta est ne a me defensa res publica per eumdem me extremum in discrimen vocaretur.

§. 37. Pro me non, ut pro P. Popilio, nobilissimo homine, adolescentes filii, non propinquorum multitudo populum romanum est deprecata: non ut pro Q. Metello, summo et clarissimo viro, spectata iam adolescentia filius: non L. et C. Metelli consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos qui tum consulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones, Metellarum filii, flentes ac sordidati populo romano supplicaverunt, sed unus frater qui in me pietate filius, consiliis parens, amore ut erat frater inventus est, squalore et lacrimis et cotidianis precibus desiderium mei nominis renovari et rerum gestarum memoriam usurpari coegit. Qui quum statuisset, nisi me per vos recuperasset, eamdem subirefortunam atque idem sibi domicilium et vitae et mortis deposceret, tamen numquam nec magnitudinem negotii nec solitudinem suam nec vim inimicorum ac tela pertimuit.

§. 38. Alter fuit propugnator mearum fortunarum et defensor assiduus, summa virtute et pietate C. Piso gener, qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis, qui Pontum et Bithyniam quaestor pro mea salute neglexit. Nihil umquam senatus de P. Popilio decrevit, numquam in hoc ordine de Q. Metello mentio facta est. Tribuniciis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate senatus restituti: quum alter eorum senatui paruisset, alter vim caedemque fugisset. Nam C. quidem Marius qui hac hominum memoria tertius ante me consularis tempestate civili expulsus est, non modo ab

senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum paene cunctum delevit. Nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad rem publicam defendendam populi romani convocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum et coloniarum exstiterunt.

§. 39. Quare quum me vestra auctoritas arcessierit, populus romanus revocarit, res publica implorarit, Italia cuncta paene suis humeris reportarit, non committam, patres conscripti, ut quum ea mihi sint restituta quae in potestate mea non fuerunt, ea non habeam quae ipse praestare possim, praesertim quum illa amissa recuperarim, virtutem et fidem numquam amiserim.

Commentarii.

Cap. I.

§. 1. „Reprehendit Wolfius quod in ipso principio de fratre liberisque dicatur, qualis pietas declamatori potius conveniat. Qua de re si ex Ciceronis sensu et animo quem in epistolis prodit, iudicetur, aliter statuendum erit.“ Haec rectissime Beckius. Namque in epistolis quas exsul ad Atticum misit, suam Marcus non magis quam Quinti fratris sortem conquestus est atque quoties quot et quanta amiserit enumeravit, toties fere liberorum etiam fratrisque fecit mentionem. cfr. in primis Attic. 3, 15, 4: ego, si me aliquando vestri et patriae compotem fortuna fecerit, ... mea officia et studia ... sic exsequar ut me aeque tibi ac fratri et liberis nostris restitutum putes. ibid. 3, 10, 2: possum oblivisci qui fuerim? non sentire qui sim? quo caream honore? ... quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? de domo 36, 96: deflevi coniugis .. discidium, liberorum .. solitudinem, fratris .. casum. Sest. 22, 49: neque enim in hoc me hominem esse infitiabor umquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis ... sine dolore caruisse glorier. ibid. 69, 145. Adverbium 'cumulate' quum sexcenties a Cicerone sit usurpatum, quum utique in verbis eius qui gratias agit, inesse possit cumulus quidam, cur damnaverit Wolfius locutionem 'cumulate gratias agere' non video. „Cumulate = affatim, abundanter, copiose.“ Sav. Nec sane est quod idem Wolfius miretur in nullo codice legi 'quaeso obtestorque vos': nam post rogandi vel obsecrandi verba omittitur a Cicerone non numquam pronomen. cfr. Rosc. Amer. 9, 25: atque ipsum decretum, quaeso, cognoscite. ibid. 28, 77: etiamnunc ut ex iis quaeratur ego postulo, hic orat atque obsecrat. Tusc. Disput. 1, 5, 10: dic, quaeso, num te illa terrent? Attic. 11, 2: oro, obsecro, ignosce.

id tribuendum] vulgatam secutus sum lectionem. In codd. Erl. et Lambini scriptum legitur 'attribuendum': in Erl. praeterea deest pronomen quod addendum existimavi.

quae tanta enim] codd. Erl. Erfurt. Francii prim. et editiones Garatonii, Klotzii. vulgo editur 'quae enim tanta'.

possit vestra] praetuli hanc lectionem ei quam tuentur codd. Erl. et Pith.: 'posset vestrum.' Substantivum 'promeritum' quia nusquam legitur in libris Ciceronis nisi hoc loco et Quir. 4. init. a Wolfio notatur, a Klotzio iure defenditur his verbis: „promeritum ist stärker als meritum; gemäss der ursprünglichen Bedeutung von pro besteht die Verstärkung darin, dass es einen gewissen Vorschritt von Verdienst bedeutet. Dass Cicero das Wort sonst nicht braucht, darf keinen Verdacht erregen, da auch das verb. 'promereri' das noch Niemand verdächtigt hat, bei ihm selten ist.“

complecti ornando] hanc lectionem codd. Erl. Pith. unius cuiusdam Lallemandi recte praetulerunt Graev. Garat. Nobb. Klotz. I. vulgatae 'orando.' quod verbum Wolfius quidem longe aptius putat verbo complectendi. At 'complecti orando' nihil aliud quam ‚complecti oratione‘ — quae quidem locutio invenitur Quir. 2, 6. Verr. 2, 4, 26 init. Curt. Ruf. 4, 16, 6 — et idem fere est quod 'percensere numerando.' Admodum autem miror a nullo etiam interprete allatum esse locum simillimum ex oratione Marcelliana, qui ad confirmandam nostram lectionem non nihil affert ponderis. Ipso enim in initio capitis secundi legimus haec: nullius tantum flumen est ingenii, nullius dicendi aut scribendi tanta vis,

tanta copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit.

numerando] haec est lectio vulgata, codicis Erl. et editionis Klotzii I.

enumerando] e codice Oxon. H. ediderunt Nobb. et Kltz. II.

iocundius] codd. Erl. Erfurt. Franc. prim. Barb. de re cfr. Offic. 1, 17, 57: omnes omnium caritates patria una complexa est.

nobis nosmet ipsos] ita edidi cum Garat. Nobb. Kltz. secutus auctoritatem codicis Erf. In codd. Erl. et Oxon. Σ deest 'nobis.'

nosmet ipsos nobis] lect. vulg. De re cfr. 4, 8: si me mihi reddidisset. Quir. 4, 8: nobismet ipsis nos reddidistis. Marcell. 5, 13: memet mihi reddidit. Horat. 1. Epist. 14, 1: mihi me reddentis agelli. „Sic loqui solent veteres de homine qui ex quavis calamitate in qua periisse et quasi semet ipsum desiderare videbatur, rursus recreatus et restitutus est in contrariam sortem.“ Markld. Adde 3 Famil. 10, 10: patriam liberos, salutem dignitatem, memet ipsum mihi per Cn. Pompeium restitutum puto.

§. 2. post deorum immortal. munera orator continuo commemorat populi rom. honores. Quiritium enim potestas — ut dicit Cicero pro C. Rabir. Perduell. 2, 5 — proxime ad deorum immort. numen accedit. cfr. Rosc. Amer. 47, 136: omnia deorum voluntate, studio populi rom. consilio et imperio et felicitate L. Sullae gesta esse intelligo.

amplissimo consilio] Sic senatus romanus 3 Phil. 14, 34 vocatur amplissimum orbis terrae consilium. 4 Phil. 6, 14: M. Antonius senatum, id est orbis terrae consilium, delere gestit. 7 Phil. 7, 19: summum consilium orbis terrae. 1 Catil. 4, 9: in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio. Altissimum autem gradum dignitatis esse consulatum declarant praeter alios hi loci: Sest. 9, 20: quum is (consul A. Gabinius) in altissimo gradu positus esset. 1 Phil. 6, 14: iccircone nos populus rom. consules fecit ut in altissimo amplissimoque gradu dignitatis locati rem publicam pro nihilo haberemus?

omnium dignitatum terrarum arce] sic inveni scriptum in codice Erl. sed delevi vocabulum 'dignitatum' quod glossematis speciem prae se fert. Curiam autem romanam significare his verbis nobis videtur orator propter locos hos: 4 Catil. 1, 2: curia summum auxilium omnium gentium. Milon. 33, 90: templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? Savels. et alii ad urbem Romam referunt illa verba, et ne hoc quidem a sermone Tulliano abhorret. cfr. 4 Catil. 6, 11: haec urbs lux orbis terrarum atque arx omnium gentium. Sull. 11, 33: urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii. De vocabulo denique arcis translate posito conferri possunt loci hi: Sull. 28, 79: communite communem arcem bonorum. Div. in Caecil. 5, 18: hacc lex socialis est, hoc ius nationum exterarum est, hanc habent arcem. Verr. 2, 4, 8, 17: utitur hac lege, communi arce sociorum.

hunc ipsum ordinem] cod. Erl. et lectio vulgata. E codice Erf. edidit Klotz: 'hunc ordinem ipsum.'

sumus decreti honestati] sic mendose cod. Erl. Lectio vulgata: ‚decretis sumus honestati.‘ „Verbis 'saepe ... honestati' non solum significantur senatus consulta quorum mentio fit §. 24 ... 27. et in Sestian. cc. 60. 61. 62. sed etiam alia ornamenta: ut quum ei gratiae sunt actae de re publica conservata, supplicatio decreta, quum appellatus est pater patriae.“ Weisk.

immensum et infinit.] cfr. Nat. Deor. 1, 10, 26: aëra esse immensum et infinitum. ibid. 1, 20, 54: immensam et interminatam magnitudinem. Herenn. 2, 22, 34: immensae, infinitae, immoderatae cupiditates.

vobis debeamus] cod. Erl. et lect. vulg. 'vobis debemus' edidit Klotz II e codice Francii. „Quod omnino vulgatae videtur praeferendum, quamvis et illa possit ferri.“ Graev.

nobis uno tempore omnia] codd. Erl. Erfurt. editio Klotzii. vulg. lectio 'nobis omnia uno tempore.'

haec ante] cod. Erl. 'haec antea' lect. vulg.

recuperaverimus] cod. Erl. et editt. Nobbii, Klotzii II.

recuperarimus] sic ediderunt Garat. Wlf. Weisk. alii.

ut quum multa ... recuperaverimus] „Hanc gradationem verbis valde ineptis expressam esse contendit Wolfius nec minus ei displicent antecedentia ‘amplissimo ... arce.’ Et profecto rhetoris ista copia, non Ciceronis videtur.“ Beck. Ego vero statuo haec quae Wolfio et Beckio tantopere displicent, et optime cum antecedentibus cohaerere nec esse Tullio indigna.

Cap. II.

§. 3. *non optandum*] „Talem immortalitatem non nefas esse optare homini libenter Wolfio concedimus. Verum ‘non optandum’ dicitur hoc loco id quod non oportet, non necesse est optari neque aliam negatio vim habet nisi ut necessitatis notionem excludat.“ Sav.

immortalitatem] Wolfius conferri iubet locos hos: Pison. 3, 7: mihi populus rom. universus illa in contione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit. Sest. 54, 115: ei qui rumore .. et favore populi tenetur et ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. Quibus adde loc. de dom. 32, 86: ad immortalitatem gloriae plus affert desideratum esse a suis civibus, quam omnino numquam esse violatum. Legib. 3, 9, 21: quod nobis quidem egregium et ad immortalitatem memoriae gloriosum.

esse adepti] codd. Erl. Erf. Colian. et editt. Lallemandi, Klotzii.

adepti esse] codd. Dresd. Francii, Pith. Barb. Oxonn. quatuor et prior Veneta. Garatonius verbum ‘esse’ rectissime omitti in ceteris omnibus libris editis iam inde a secunda Veneta arbitratur: fieri enim ipsa collocationis varietate suspectum.

quum ... teneremini] Miro deceptus errore Wolfius fidem his verbis abrogavit discrepare ea ratus cum iis quae legimus in Sestiana (31, 68): loquebatur liberius senatus. Nobis verba optime videntur inter se convenire. Loquebatur quidem liberius senatus frequensque decrevit de Ciceronis reditu, sed quum minis et metu obsessus teneretur a Clodianis, omni ratione impeditus est quo minus quae decreverat rogatione ad populum ferenda sancirentur.

discessum meum] „Exsilium non dixit quia nihil de eo latum umquam iure fuit, at potius summa cum dignitate afuit.“ Peter ad Sest. 22, 49. cfr. Sest. 28, 60. prov. consul. §. 45. Pison. §§. 21. 31. §. 63 — ubi digressus dicitur. Cur autem constanter neget se expulsum esse si non ex Sestiana, certe disces ex Paradox. 4, 27. seq.“ Mueller ad Sest. 22, 49. Adde his loc. in Vatin. 3, 6. 7.

me universi] codd. Erl. Erfurt. Vulgo editur: ‘universi me.’

revocavistis] Recte hoc interpretatus est Osiander: Ihr habt Euch für meine Zurückberufung erklärt.

L. Ninnius Quadratus] trib. pleb. — cuius in Ciceronis causa numquam fides virtusque contremuit — (Sest. 31, 68) Kalend. Ian. retulit de eius reditu. Commemoratur etiam Attic. 3, 23, 4. ibid. 10, 16, 4. de dom. 48, 125. Sest. 11, 26: vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia L. Ninnius ...

et si dimicare] codd. Erl. et Pith. delevi ‘et.’

decernendi potestas facta non est] cod. Erl.

potestas decernendi facta non est] cod. Pith. teste Beckio.

potestas facta decernendi non est] cod. Pith. teste Garatonio. Uter eorum veram nobis Pithoeani scripturam prodiderit nescio. Editores fere omnes unius codicis Francii primi auctoritatem secuti ediderunt: ‘potestas decernendi non est permissa.’ In codd. Erf. Colian. Oxon. Σ scriptum est ‘potestas decernendi non est.’ Genuinam igitur lectionem unus nobis servavit Erlang.

per eum tribunum pleb.] quis intelligendus sit tribunus parum constat. Ferratius enim, Wolfius, Savels. P. Clodium intelligunt ut ‘alienum scelus’ sit Pisonis et Gabinii coss. in quos Cicero saepe primariam culpam confert calamitatis suae.“ Klotzius contra iure monuit hoc scelus ad consules ideo non posse pertinere, quod hi quarto demum capite nominatim commemorantur. Tum concedit Wolfius „ordinem rerum in Sestiana relatarum ducere nos ad Aelium Ligurem Clodii scelus intercessione sua adiuvantem.“ Aelium igitur a Cicerone significari statuerunt assentiente Drumanno II. pag. 278. Hotomanus et Klotzius.

rem publicam lacerare] vide excursum primum.

delevit] hanc scripturam ex non nullis libris manuscriptis omnes receperunt editores; sed in codd. Pith. Stephani, Lambini scriptum est 'sub alieno scelere delituit': eodemque nos ducit mendosa Erlangensis scriptura ,sub alio scelere deliluit.' In Erfurt. invenitur 'delevit' sed alia manu 'delituit' superscriptum est.

numquam meam salutem non] lectio vulgata. Negatio 'non' in codd. Erl. et Oxon. X omissa, in aliis codd. perperam collocata est hunc in modum: 'non numquam.' In aliis etiam codd. invenitur 'numquam non meam salutem.'

iis consulibus] Apud Garat. Wolf. Beck. Weisk. Crus. Nobb. legimus 'his consulibus': in cod. Erl. 'hys,' sed Madvigii et Seyfferti (epistol. critic. ad Halmium) secutus sum auctoritatem, qui quidem fere numquam non ubi in codd. invenitur 'his vel hys' literam aspiratam detrahi iubent.

qui rem publicam vendiderant] cod. Erl. et V. V. L. L. teste Beckio. cod. Pith. 'qui rem publicam venditaverant.' Piso et Gabinius coss. provinciarum foedere obstricti Ciceronem a Clodio in exsilium mitti sunt passi. Atqui sua Ciceroni salus cum re publica arctissimo vinculo numquam non visa est coniuncta. Ergo qui Ciceronis salutem pessumdederunt (sive — quod hoc loco idem est — pessumdari siverunt) iis promiscue venditae et suae et rei publicae salutis culpam potuit attribuere. Quod si per se spectata utraque scriptura aeque genuina possit videri, tamen praetulerim eam quam tuentur codd. Erl. et Pith. Hoc enim crimen venditae rei publicae — etiam si consules Ciceronis salutem tribuno plebis non addixissent — tamen verissime cadebat in eos quibus aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur (cap. 7 extrem.) Haec vero criminatio minorem Ciceroni conflatura erat invidiam quam si suam, non rei publicae salutem, quam utique poterat verissime, consulibus crimini dedisset proiectam. Adde quod vocabulum 'rem publicam' in codd. compendio 'r. p.' scriptum facillime potuit intercidere.

§. 4. *ut ille annus*] cod. Erl.

ut ipse ille annus] cod. Erf.

ut ille ipse annus] lectio vulgata: 'ut illo ipso anno' scriptum invenitur in codd. Francii prim. Dresd. Barb. Oxonn. quatuor.

malueram esse fatalem] Miratus iam Hotomanus est verborum coniunctionem, reprehenderunt Markld. et Wolf. Facili autem negotio Gesnerus, Weisk. Klotz. Savel. eam defenderunt. Fato enim res romanae eo erant deductae ut illo anno aut Cicero aut patria gravissime esset affligenda. Quod quum sibi persuasisset Cicero, patriam quam semet ipsum maluit esse salvam.

octo tribunos] cod. Erl. et editiones P. Victorii, Stephani, Manutii, Hervag. Bruti, Hotomani, Lambini probantibus Garatonio et Weiskio. Wolfio autem glossematis hoc speciem habere videtur etsi non infelicis. Sed confirmatur haec lectio ab ipso Cicerone qui de octo tribunis mentionem facit idemtidem. cfr. Attic. 3, 23, 1. 4. Sest. 32, 69: de meo reditu octo tribuni promulgarunt. Ex quo intellectum est non mihi absenti crevisse amicos .... Nam ex novem tribunis quos habueram, unus me absente defluxit qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit .... ibid. 32, 70: tribunis pl. octo referentibus.

hos tribunos] lect. vulgat.

nam consules] in Erl. inveni: 'nam et consules.' sed delevi copulam quae nullius alius codicis auctoritate firmatur.

modesti] „εἰρωνικῶς. hoc enium legis nomine cupiditatem suam tegebant." Hotom. cfr. Sest. 32, 69: qui, quum in senatu privati ut de me sententias dicerent flagitabant, legem illi se Clodiam timere dicebant. de dom. 26, 70: homines legum iudiciorumque metuentes quum frequentissimus senatus eos ut de me referrent cot die flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. Attic. 3, 15, 6: perscripsisti ad me quoddam caput legis Clodium in curiae poste fixisse, ne referri neve dici liceret. cfr. etiam Pison. 12, 28. Drumann II. pag. 257 seq.

sed quae] in cod. Erl. et editt. Naug. Man. Lamb. Grut. Oliv. Lall. Oxon. legimus: 'sed ea quae.' Fretus auctoritate codicum Erfurt. Colian. Dresd. Franc. Barb. Oxon. quatuor Graevius delevit ,ea' probantibus Ernestio, Heumanno, Klotzio.

promulgavit] „ex Ciceronis usu scribendum fuisse 'promulgavisset' bene vidit Ernestius." Wolf. Quare Weiskius 'promulgavit' contractum putat errore librarii a 'promulgavisset.' „Indicativus recte ponitur quia scriptor non consulum

refert orationem, sed causam affert cur ipse legem de consulibus latam dicat.“ Haec verissime Savel.

si revixissent ii qui] haec est lectio vulgata quam recepi. in Erl. mendose scriptum legi ‚si revixerit vero qui.‘ ‘si revixissent qui’ cod. Oxon. Σ

paene haec] cod. Erl. sed lect. vulg. ‘haec paene.’ vocabulo ‘haec’ non numquam a Cicerone significari imperium romanum luculenter demonstravit Naegelsbach. in libro ill. de serm. lat. (edit. alter.) §. 44. b. p. 124. Locis quos ibi attulit vir doctissimus praeter nostrum addi possunt hi: Flacc. 42, 104. prov. consul. cap. 10. init. 3 Catil. 9, 21. 4 Cat. 8, 16. ibid. 11, 23. Fontei. 21, 48 (17, 38). Milon. 23, 63.

si quum hostes ... revixissent ego non revertissem.] hac scriptura, quae in Erlang. solo invenitur, egregia Wolfii coniectura prorsus comprobatur.

interfectores rei publ.] De hac translatione a Marklando damnata vide excursum prim. Totam autem sententiam Markld. arbitratur futiliter excogitatam et expressam tenebricose. Sed optime eum refutavit Gesnerus assentientibus Weiskio et Klotzio. „Dixerat Clodius de civibus quos Cicero necavisset indemnatos. Cicero vero eos interpretatur qui paene urbem et imperium delerint. Calumniari hoc modo Tullianum est.“ cfr. Sest. 12, 29: quod esset ausus ... ibid. 25, 55: si rem publicam prodidisset.

atque illo] cod. Erl. ‘itaque illo’ lect. vulg.

princeps autem tueretur] sic codd. Erl. Erf. et editt. Mediol. Vict. Steph. Lamb. Hervag. ambae Venet.

principes .. tuerentur] codd. Franc. prim. Dresd. Cratandri, Manut. Barberini et editio princeps. Cn. Pompeium significari nemo non videt. cfr. Sest. 32, 69: initur consilium de interitu Cn. Pompeii: quo patefacto ferroque deprehenso ille inclusus domi tam diu fuit quam diu inimicus meus in tribunatu. Mil. 7, 18: comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat: extorta est confitenti sica de manibus: caruit foro postea Pompeius, caruit senatu, caruit publico: ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit. cfr. etiam Quir. 6, 14: quum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur.

parentibus perpet.] „Rei publicae parentes perpetui duo erant: Cicero et Pompeius.“ Ferrat. et Weisk. „p. perp. eos intelligo qui perpetuam et constantem et maximam habebant rei publicae curam, quum in summa essent dignitate, existimatione, potentia. Tales non modo erant Pompeius et Cicero, verum etiam Catulus paulo ante mortuus et Cato denique a Clodio Cyprum ablegatus.“ Garat. et Beck. Klotzius Ciceronem putat hoc parentum vocabulo appellasse senatum tamquam perpetuum publici consilii auctorem: tutores deinde annuos vult esse omnes magistratus maiores, non consules qui iam commemorati sunt. Notandus etiam nobis est mirus Wolfii error haec scribentis: „male luditur antitheto ‘perpetuis’ et ‘annuis’ quasi tutores aliquid maius essent parentibus“ Itane vero? minime. „Non sola inter se opponuntur nomina, sed totae sententiae: ‘orbatum esse parentibus’ ‘orbatum esse tutoribus.’ Maior autem profecto calamitas eius qui non solum parentes, sed praeter hos etiam tutores amisit quam qui hos superstites habet.“ Weisk. cfr. etiam Famil. 3, 11, 3: tanta penuria est bonorum et fortium civium in omni vel honoris vel aetatis gradu, ut tam orba civitas tales tutores complecti debeat.

sententias dic. prohiber... caput meae proscr... recit ...] „Haec membra quae iudice Wolfio non satis commode iunguntur, mea sententia non aliter iungi potuerunt. Neque enim, quod Wolfio videtur, ipsa legis recitatione prohibitio illa continebatur, sed intercessione Liguris de qua mentio facta est §. 4. Recitatio autem pertinet ad consulum excusationes qui dictitabant se Clodia lege impediri quo minus sententias de Cicerone dicerent.“ Sav.

proscriptionis] invidiose sic dicitur lex illa Clodii. „Lex Clodii ut in Dione 38, 14. Vell. Paterc. 2, 45. Attic. 3, 15. legimus, Ciceronem non nominabat, sed in eos generaliter scripta erat, si qui cives rom. indicta causa condemnassent. In quo tamen praecipuum Ciceronis factum notabatur, qui coniuratos sine populi iudicio damnaverat.“ Manut. ad Sest. 10, 25.

meam salutem] cod. Erl. et lect. vulgat.

salutem meam] e codice Erf. edidit Klotzius.

numquam... coniungere.] cfr. Sull. 10, 29: omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea coniungunt.

Cap. III.

§. 5. *singulari et praestant. virtute*] cod. Erl. et lect. vulg.

singulari virtute et praestant] e cod. Erfurt. edid. Klotz. P. Cornelius Lentulus Spinther eximiam Ciceroni ex exsilio revocando navavit operam, quod meritum hic grato ac pio animo saepe numero celebrat. cfr. Brut. 76, 268: Publius ille nostrarum iniuriarum ultor, auctor salutis... Sest. 32, 70. 31, 72. 50, 107. 69, 144. 147. Pison. 15, 34. Q. frat. 2, 6, 4. Milon. 15, 39. Red. in Sen. 4, 8. 11, 27. Quir. 5, 11. 6, 15. de dom. 3, 7. 12, 30. 27, 70. 28, 75. vide Orellii Onomast. Tullian. et Drumann. II pag. 286.

anni caligine] cod. Erl. et lect. vulg.

caligine anni] e cod. Erf. ediderunt Nobbius et Klotzius I. cfr. 2 Agrar. 26, 69: qui tantum agri in illis rei publicae tenebris occupavit quantum concupivit. de dom. 53, 137: rei publicae tenebris offusis... Rosc. Amer. 32, 91: tamquam si offusa rei publ. sempiterna nox esset. Har. Resp. 6, 11: in illa tempestate ac noctę rei publ. Brut. 96, 330: doleo me in hanc rei publ. noctem incidisse. 1 Agr. 8, 24: quum populo rom. vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit. 2 Agr. 17, 44: ii qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc taetris tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?

lucem... dispicere] sic ediderunt Garatonius, Halmius, Klotzius paulum immutata scriptura ea quae invenitur in codd. Erl. Erf. Palatt. Pith. 'despicere': in cod. Barb. itemque in editt. Hervag. Manut. legitur ‚respicere' quod quidem Graevius idem esse vult quod iterum dispicere. Cfr. etiam locum Sestianae ubi eadem prorsus est lectionis varietas, 55, 118: populi rom. libertatem iam ex diuturna servitute dispicientis.

atque optimi viri] vocabulum 'optimi' deest in cod. Erl. sed librarii culpa omissum mihi videtur.

paene omnium] nam e praetoribus solus App. Claudius, Clodii frater, e tribunis pl. Sex. Atilius Regulus Serranus et Numerius Quinctius Rufus adversabantur Ciceroni. In cod. Erl. inveni mendum hoc 'penes omnium.'

rebus gestis] in cod. Erl. excidit 'gestis' quod addendum esse ideo existimavi quia Cicero numquam 'res' nude posuit pro rebus gestis: similis vero verborum coniunctio apud Tullium haud ita raro invenitur. cfr. Div. in Caecil. 21, 69: P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus.

omnium... princeps] cfr. Famil. 3, 11, 3: Pompeius omnium saeculorum et gentium princeps.

venire in senatum] codd. Erl. et Erf. Lect. vulg. 'in senatum venire.' In Erlang. legitur 'non arbitraretur': in Erfurt. negatio 'non' alia manu superscripta est. Addita est sine dubio a sciolo nescio quo cui omissa negatione haec verba repugnare videbantur iis quae supra (2. 4) leguntur.

§. 6. *quo quidem mense*] cfr. locum simillimum Quir. 5, 13: hic tantum interfuit inter me et inimicos meos.

flumine sanguinis.] Significat eam seditionem quae in foro VIII. Kal. Febr. facta est „quum corporibus civium Tiberis compleretur, cloacae refercirentur, e foro spongiis effingeretur sanguis.“ Sest. 35, 77.

iudices sententiis.] In cod. Erl. legitur mendum hoc: 'vi de sententiis.'

populus suffragiis] lect. vulg. In Erl. inveni 'populus.' omisso vocabulo 'suffragiis.' In Erf. superscriptum est R.

auctoritate declaravit] Ciceronem de senatu maxime dicturum fuisse 'decrevit' opinatus est Wolfius. Declarandi autem verbum multo patet latius quam decernendi: suo igitur iure Tullius hoc loco quo non de senatu solum, sed etiam de iudiciis et populi comitiis mentionem fecit, illud verbum usurpavit. cfr. locos quos attulit Savels. Sest. 23, 52: si meo interitu senatui populoque rom. doloris sui de me declarandi potestas esset erepta. Pison. 15: iisque verbis ea de me senatus auctoritas declarata est ut...

mutum forum, elinguem curiam] cfr. Vatin. 3, 8: forum maestum, muta curia: quo quidem loco approbante Klotzio coniecit Madvig. 'forum mutum, muta curia.' Vide etiam Sest. 24, 53: quum meum illum casum.. non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent, nemo vestrum forum, nemo curiam... aspicere vellet. Sic saepe Cicero rebus inanimis sensus hominum ac linguae usum tribuit. Oratores graeci in ea re castiores sunt: cfr. tamen Aeschin. advers. Ctesiph. §. 259: „*αὐτοὺς τοὺς τάφους τοὺς τῶν προγόνων οὐκ οἴεσθε στενάξειν;*" Halm. Vide praeterea: Sest. 60, 128: quem curia magis requisivit? quem forum luxit? quem aeque ipsa tribunalia desideraverunt? Pison. §. 21: quum omnes boni abditi inclusique maererent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent. ibid. 22, 52: ut... etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari. Famil. 6, 3, 3: sed in ea urbe in qua haec vel plura et ornatiora parietes ipsi loqui posse videantur. 2 Agr. 4, 9: quid tam populare quam pax? qua non modo ei quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi laetari videntur. Marcell. 3, 10: parietes, medius fidius, ut mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt. Acad. 2, 1, 3: oculi et fori et curiae. cfr. etiam Philipp. 10, 4. pro Cornel. 1 §. 19. T. Liv. 2, 24, 3: at vero curia maesta ac trepida ancipiti metu... Servilium consulem... orare ut... Satis igitur multis exemplis confirmasse mihi videor hanc Ciceronis consuetudinem quam ne verbo quidem attigissem uno, nisi miro abreptus errore Wolfius in commentar. orat. pr. Marcell. isto modo loqui negasset esse Tullianum.

videbatis.] In Erl. inveni 'iubeatis.' De re cfr. Parad. 4, 27: Non igitur erat illa tum civitas quum leges in ea nihil valebant: quum iudicia iacebant: quum mos patrius occiderat: quum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in re publ. non erat.

§. 7. *quum is excessisset..*] „De se loquitur quum is in exsilium abisset qui non privato consilio, sed auctore senatu supplicium de coniuratis sumpserat." Hotom. „Ernestio id non satis placebat quia discessus Ciceronis longius praecesserat. Sed quum hoc loco est causale, non temporale." Weisk. Wolf. ostendit necessario Ciceronem intelligendum esse.

volitantes] vulgatam secutus sum lectionem contra auctoritatem Erlangensis in quo inveni 'volitarent' quod minus huic loco convenire videtur. De volitandi autem verbo translate posito conferri possunt quae disputavit Naegelsbachius in libro illo de serm. lat. §. 132. 2. pag. 380. Recte Manutius ad Sest. 1, 1: „hoc verbum securitatem quamdam [sensumque impunitatis] (addidit hoc Halmius) arrogantia impudentiaque coniunctam significat." Saepissime vero hoc verbo Ciceronem usum esse declarant loci a Naegelsbachio citati quibus addi possunt hi: Rosc. Am. 46. 135. 2 Catil. 3, 5. 7, 15. Pison. 4, 8. 12, 26. 25, 59. Mil. 33, 91. 2 Agr. 22, 59. 36, 99. de dom. 19, 49. Flacc. 16, 38. Sest. 4, 9. 43, 94. 44, 95. Attic. 2, 21, 1. Orat. 1, 38, 173. T. Liv. 3, 35, 5. 4, 19, 2.

tecta impugnata] sic. cod. Erl. et editt. Wolf. Nobb. Klotz.

tecta oppugnata] e codd. Oxonn. H. Σ. edidit Weisk. De re ipsa cfr. Parad. 4, 28: quum parietes disturbabas, quum tectis sceleratas faces inferebas. ibid. §. 30: privatorum domos, aedes sacras incendisti.

templa inflammata] cod. Erl. 'templa inflammati.' De re cfr. Milon. 27, 73: qui aedem Nympharum incendit ut memoriam publicam recensionis tabulis impressam exstingueret. Coel. 32, 78: Sex. Clodius... qui aedes sacras, qui censum populi rom., qui memoriam publicam suis manibus incendit. Sest. 39, 84: quid uti faceret? aedes incenderet? tecta disturbaret? templa deorum immort. inflammaret? Parad. 4, 31: aedes Nympharum manu tua deflagravit. vide etiam Har. Resp. 27, 57. Quir. 6, 14.

fasces fractos] Q. Metelli putabat Manutius: P. Lentuli Hotoman. Wolf. Klotz. Gabinii vero fasces perperam intelligunt Weisk. Drumann. Savel. Marklandus denique rem omnino fictam censet et commenticiam.

optimi tribuni] sic codd. Erl. et Pith. quam lectionem equidem improbare non ausim. vulgo editur 'optimi viri tribuni.' P. vero Sestium significari inter omnes constat interpretes. cfr. Milon. 14, 38: civi egregio et viro fortissimo, P. Sestio, collega suo vulnerato. Parad. 4, 30: caedem in foro fecisti. Copiosius autem res narratur in Sestian. 37, 79.

vulneratum] in Erl. legitur 'vulnera cum ferro.' non nulli permoti magistratus. Aediles et quaestores significari arbitratus est Manutius. Hos vero in-

telligi non posse Ferratius cui Wolf. Klotz. Sav. assentiuntur, ostendit his verbis: „ab aedilibus et quaestoribus Ciceronis causam susceptam fuisse neque in orationibus dicitur neque in epistolis: quod ne praestare quidem ii poterant quum neque ferendae legis neque convocandi senatus ius haberent... Qua strage permoti fuerint ii magistratus legimus in Sestian. capp. 35. 36. ex iisque locis cognoscitur Q. Fabricium tribunum pl. praecipue hic designari quem — 8, 22 — ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas vestra revocavit.

paulum] cod. Erl. et lectio vulg. E. codd. Erf. et Oxonn. quatuor Nobb. et Klotz. ediderunt 'paullulum.'

reliqui fuerunt.] Haec quae Wolfio displicet formula legitur etam in Vatin. 7, 16: reliqui sex fuerunt ex quibus... Sav.

nec vis] ita codd. Erl. et Erf. Lect. vulg. 'neque vis.'

Cap. IV.

§. 8. ***parens ac deus***] hanc vulgatam scripturam iure mihi videor praetulisse ei quam tuentur codd. Erl. Pith. Dresd. Oxon. unus 'parens ac decus.' cfr. Sest. 69, 144: video P. Lentulum cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei et fratris rerumque nostrarum. Quir. 5, 11: P. Lentulus consul parens, deus, salus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis. ***nominis.*** Latius patet hoc vocabulum quam nostrum ‚Namen.' cfr. Sest. 6, 14: tribunatus totus P. Sestii nihil aliud nisi meum nomen causamque sustinuit. Itaque his locis nomen reddiderim germanice 'Person.'

specimen.] In Erl. legitur 'specu': in uno ex Oxonn. 'speculum.' ***designatus.*** Post comitia consularia consules designati primi sententias rogabantur et eorum is prior qui priore loco declaratus erat.

vetaretur, praeclarum illud caput] ita cod. Erl.

vetaretur, quum praeclarum caput] lect. vulgat.

ne quis.. adesset.] Marklandus et Wolfius damnant haec verba paene omnia atque declamatorium strepitum putant inesse in his cumulatis quas vocant locutionibus eiusdem potestatis. Weiskius contra recte ea defendit his verbis: „ne quis decerneret scil. de revocando Cicerone. Haec forma loquendi est antiquae notae et vitio caret.

ne disputaret.] Id est ne quis in utramque partem de illo revocando diceret.

ne loqueretur „ne de alia re agens mentionem Ciceronis revocandi faceret."

ne pedibus iret] „id est ne quis pedibus uteretur ad eundum. Nihil enim aliud significant illa verba, non id quod necesse erat 'ne quis in sententiam cuiusquam pedibus iret seu discederet.' Quippe verba illa numquam non adiici solent et prorsus necessaria sunt in formula publica de discessione in senatu, quam ad rem vide Brissonium de formulis II pag. 201." Haec Marklandi verba quum legissem ingenti studio et exspectatione arripui librum Brissonii. Speravi enim cur verba illa omnino non potuerint ab oratore omitti, illustrissimum iure consultum idoneis mihi argumentis probaturum esse. Sed mirum quantum mea me fefellit opinio. Nihil enim novi ex libro illo didici, nihil inveni, ne verbum quidem quo demonstratum fuerit cur illorum verborum accessio prorsus esset necessaria. Optime vero has Marklandi nugas castigavit Gesnerus his verbis: „apparet ea quae in senatu fieri solent, ita signata hic et declarata esse ut illis verbis 'in sententiam' facile careamus."

proscriptionem.] cfr. de dom. 17, 44: hanc... tribuno pl. potestatem dabitis ut proscribere possit quos velit? quaero enim quid sit aliud proscribere... haec lex? haec rogatio est? ibid. 19, 50: iis verbis scripta est ista proscriptio ut se ipsa dissolvat... Quot modis doceo legem istam quam vocas non esse legem? Pison. 13, 30: illam legem quae erat contra omnes leges, indemnati civis atque integri capitis bonorumque tribunicia proscriptio. prov. cons. 19, 45: illam proscriptionem capitis mei... Eamdem prorsus quam P. Lentulus sententiam in senatu dixit etiam L. Cotta de quo vide Sest. 34, 73. Legib. 3, 19, 45.

nominatim sine iudicio] cfr. Sest. 30, 65: cur quum de capite civis... et de bonis proscriptio ferretur, quum et sacratis legibus et duodecim tabulis sanctum esset ut neve privilegium irrogari liceret neve de capite nisi comitiis centuriatis rogari, nulla vox est audita consulum constitutumque est illo anno... iure

posse per operas concitatas quemvis civem nominatim tribuni pl. concilio ex civitate exturbari?

quid egit prius] sic codd. Erl. Lamb. Oxonn. duo et editt. Beckii, Weiskii.

quid prius] ita ediderunt Nobb. Klotz. e cod. Erfurt.

quid egerit prius] ediderunt Graev. Garat. e non nullis codicibus. Graevium praeter Garatonium secuti sunt Olivet. Heumann. „Male 'egerit' non pendet hoc a ‚non dicam' ut putavere librarii. Cicero parum esse putabat si diceret 'quid egit prius': dixit plus 'quid egit omnino'." Haec verissime Ernestius.

sanciret] confirmaret. Nam quae Cicero adversus coniuratos gesserat auctore senatu gesserat. Violata igitur erat senatus auctoritas quum ob eam causam quia senatui paruerat, ipse violatus est.

§. 9. *Dii... fuisset!* Haec verba Wolfio, Beckio, Weiskio mirum in modum videntur languida et Cicerone indigna. Egregie vero Savel. monuit haec: „Ea est natura hominum ut rideant affectum quem participare nequeant vel recusent, utque eo magis rigescant quo fervidior sit oratio quam inviti aut invidi legant vel audiant. Quamquam auditae orationis et lectae non eadem est ratio. Namque iudice Tullio (orat. 37, 130) carent libri spiritu illo propter quem maiora eadem quum aguntur quam quum leguntur videri solent."

consul est.] sic codd. Erl. Erf. plerique Palatinorum: editt. Garaton. Beck. Crus. 'est' Heumanno correctionem redolere videtur.

consul fuit] ita vulgo editur e solo Palat. nono. In aliis codd. scriptum est 'consul praefuit.' „fuit scheint richtig: fuit = factus est wie nicht selten." Nägelsb.

quo quanto maius] ita Graev. edidit e cod. Franc. primo et edition. anni 1472. neque aliter Barb. edit. utraque Veneta, Naug. Herv. Garat. Recentiores quoque editores Graevium secuti sunt omnes praeter Weisk. et Crus. qui quidem cum Ernest. Heumann. Oliv. Lallem. Gruter. Manut. Lamb. Oxonn. codd. et Erlangensis scripturam 'quanto' tuentur. Vocabulum autem 'quo' etsi necessarium non est, tamen elegantius additur et facillime potuit absorberi: quare ego quoque addidi. In Erl. praeterea inveni 'magis' pro 'maius.'

medicina... vulnere consulari] haec verba in quibus Beckio iudice frigidum declamator captavit acumen, eleganter interpretatus est Nägelsb. de serm. lat. §. 20. 2. pag. 61. „die heilende Hand eines Consuls." Idem addit: „offenbar eine Anspielung auf Telephus." De Telepho vide interprett. ad Horat. A. P. 96. 104. Epod. 17, 8.

civi et viro] cfr. Sull. 1, 3: clarissimi viri atque ornatissimi civis. ibid. 2, 4. Quir. 7, 17 Garat. „Talis partitio inde orta est. quod viri et civis virtus diversa putabatur; cfr. Aristot. Polit. 3, 2, 2: *ὅτι μὲν οὖν ἐνδέχεται πολίτην ὄντα σπουδαῖον μὴ κεκτῆσθαι τὴν ἀρετήν, καθ' ἣν σπουδαῖος ἀνήρ, φανερόν.* Sed dignum est totum caput quod evolvatur." Halm.

Q. Catulo] Q. Lutatius Catulus, filius eius qui cum C. Mario consulatum gessit, consul fuit a. u. c. 676. commemoratur in Pison. 3, 6. de dom. 43, 113. Sest. 57, 121. 122: is libere reprehendere et accusare populi non numquam temeritatem solebat aut errorem senatus. Obiit autem inter Ciceronis consulatum et exsilium a. u. c. 692. Quod ei Cicero hoc loco tribuit dictum id Orellio (Onomast.) satis videtur ineptum.

unum consulem improbum.] In Erl. deest 'consulem.'

post Rom. cond.] Haec tria verba quae superscripta sunt in cod. Erfurt. desunt in codd. Oxonn. sex. Barb. itemque in editt. vett. delevit Wolfius, Heumann. pro glossemate habuit. Beckio denique iudice ingenium declamatoris copiose dicturi sapiunt. Verum inveniuntur haec verba in codd. Erl. Pith. Franc. primo et recepta sunt a Grutero et Graevio quos secuti sunt plerique recentiorum.

Cinnano tempore.] Quum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo rem publicam mutuis discordiis belloque civili labefactarunt. Cinnanus atque Octavianus dies commemoratur etiam in Sest. 36, 77.

unus in re publ. consul] „id est vere consul, sapientia et probitate consulens rei publicae." Haec rectissime Weiskius: neque vero audiendus est Wolfius haec dicens: „hoc si statueris (quod statuit Weisk.) repugnabit latinitas et ipsa sententiae conformatio."

consul esset.] codd. Erl. Lambini, Gruteri ac lect. vulg.

esset consul] edid. Weisk. e Franc. prim. Barb. utraque Venet. et Manut.

quod vere dixerat] recepi hanc lectionem vulgatam contra auctoritatem codd. Pith. Erl. in quibus scriptum est: 'quam vero dixerat.' [In Erl. inveni: quā ŭo dixt = dixit? = dixerat?]

si id] ita solus cod. Erl. Vulgo editur: 'si illud.'

in re publica fuerat] ita solius Erl. lectione optime sanatur hic locus. Vulgo enim editur 'in re publ. non fuerat' quam negationem perplexam esse optimo iure statuerunt Wolfius et Beckius.

et proprium] sic cod. Erl. lect. vulg. 'ac proprium.'

fuisset inimicus] ita codd. Erl. Erf. Dresd. Lamb. unus Maffeianus apud Manut. Aliis in codd. scriptum est 'non inimicus' unde Garaton. coniecit 'homo inimicus.' Lectio vulgata 'unicus' unde petita sit non patet. Recte damnaverunt eam Ernest. Beck. Weisk. Sed neque opus est ut Ernestio auctore scribamus 'unus' neque eiciendum videtur ,inimicus' quod voluit Weiskius.

fuerit in me conservando] cod. Erl. et lectio vulg.

in me conservando fuerit] e cod. Erfurt. edidit Klotzius.

auctorem fuisse ascriptoremque] „auctor fuit quum eius sententiam alii secuti sunt: ascriptor quum pro more nomen eius in perscribendo S. C. apponeretur." Hotom.

§. 10. *duo consules.*] Quin vera sit haec scriptura quam omnes receperunt editores, non dubito. Quod enim in codd. Erl. Lamb. Palatinis aliquot invenitur 'ii' vel 'hii' recte monuit Lambinus ortum esse ex nota numerali II. Verum idem erravit vehementer quod delevit vocabulum 'consules.' Parum enim existimavit sibi constare Ciceronem qui eosdem homines modo appellaret consules, modo esse negaret. Wolfio contra non ita acutus fuisse declamator videtur. Neuter autem verum vidit: priore enim loco utique poterat Cicero consules appellare eos qui a populo romano consules facti erant, ubi vero eorum flagitia et scelera perstrinxit iure potuit negare.

mentes angustae] in cod. Erl. inveni 'mentes angustate.'

parvae] codd. Erl. Erf. Barb. Palatt. Ursini et editt. Ernest. Orell. Klotz.

pravae] codd. Oxonn. „apud Ciceronem posterius praeferrem sine ulla dubitatione." Haec Wolfius quem secuti sunt Beck. Weisk. Garat. Crus.

tenebris ac sordibus] tenebrae sunt vitia intellectus, ignorantia, error: sordes mentis sunt vitia voluntatis." Hotom. cfr. Pison. 26, 62: o tenebrae! o lutum! o sordes!

intueri] haec est lectio vulgat. et codicis Erl. quam damnavit Turnebus. 'tueri' codd. Turnebi et Lallemandi idque praeferendum duxit Lall. Duo potissimum in duobus consulibus ab oratore vituperantur vitia aeque conspicua et consulari persona aeque indigna: angustiae pectoris et morum sordes. Infinitivi deinde cum antecedentibus accusativis ita mihi videntur iungendi ut primus referatur ad nomen consulatus, alter ad splendorem illius honoris, ad magnitudinem tanti imperii tertius. Quaeritur itaque quid sit 'intueri nomen consulatus' quid 'tueri' et utra locutio huic loco melius conveniat. Nomen consulatus intueri est animo reputare quid sibi velit hoc nomen. Tueri autem fere idem est quod sustinere atque saepius haec verba apud Ciceronem legimus coniuncta. cfr. Rabir. Perd. 15, 41: tueri et sustinere simulacrum pristinae dignitatis. 2 Agr. 2, 5: tueri consulatum. Praeferenda nobis videtur prior locutio cum ob raritatem tum propter maiorem quam consulibus aspergit ignominiam. Sed ne altera quidem locutio ab hoc loco abhorret. Quare etiam Garat. et Wolfius difficilius rati inter utramque diiudicare rem in medio reliquerunt. Weiskius vero haec dicit: verba 'nomen ipsum consulatus' reponenda sunt post verbum imperii. Nam et per se ultimum locum occupare debent quia gravissimum est illos ne nomen quidem consulatus capere potuisse: et propter ordinem quo cetera inter se referuntur: nam splendor ill. honor. pertinet ad primum intueri, deinde magnitud. tant. imper. ad secundum sustinere, tertium nom. ips. consulat. ad postremum capere." Talis autem transpositio nobis non necessaria videtur.

nec sustinere] cfr. 7 Phil. 2, 5: se ipsi dicunt consulares quo nomine dignus est nemo nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. Pison. 11, 24: non capiunt angustiae pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam.

sed mercatores] etiam Quir. 9, 21 et Famil. 1, 9, 13 Pisonem et Gabinium appellavit mercatores provinciarum. Nam Piso et Gabinius coss. cum P. Clodio pepigerant ut, si Ciceronem in exsilium eicerent, ille Macedoniam, hic Syriam procoss. obtinerent.“ Hotom. cfr. etiam Drumann II pag. 261.

venditores vestrae dignitatis] cfr. Sest. 7, 17: quid dicam? — consules? hocine ut ego nomine appellem eversores huius imperii, proditores vestrae dignitatis? Erat enim non consulum, sed senatus universi munus provincias decernere, id quod scimus ex oratione de prov. consular. Ceterum interpretes uno ore consentiunt Tullium hic et in reliquis quas redux habuit orationibus in castigandis duobus consulibus modum excessisse, multoque peiores eos quam re vera fuerunt depinxisse. Neque vero mirum est: quo enim tempore haec in senatu verba fecit nondum ira eius deferverat. Quum autem in eos ad quos iniurae sibi illatae culpa potissimum pertinebat, aperte invehi non auderet, omne virus acerbitatis suae in eos evomuit qui in altissimo dignitatis gradu collocati ne tanta viro summo importaretur calamitas prae ceteris cavere debebant. Cui officio quum defuissent, quum empti ab inimicis Ciceronis salutem eius prodidissent, suo iure eos castigavit. Quorum qui prior ad partes vocatur Gabinius meliore quodam modo est in causa: multo enim acerbius et vehementius collega eius carpitur. cfr. in primis Pison. 12, 27: quum tamen ille qualiscumque est, qui est ab uno te improbitate victus Gabinius, collegit ipse se vix, sed collegit tamen et contra suum Clodium primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio vere vehementerque pugnavit. vid. etiam ibid. §. 28. de dom. §. 66, prov. cons. 5, 12.

amatorem suum] ob Catilinae consuetudinem Gabinius in pueritia male audierat. cfr. de dom. 24, 62: quum alter se Catilinae ... delicias diceret.

Cethegum] C. Cornelius Cethegus ordinis senatorii unus e coniuratis et inter primos fuerat: ei enim provincia data erat ut ianuam Ciceronis consulis obsideret eumque vi aggrederetur. Itaque damnato gula in carcere per vindices rerum capitalium fracta est. cfr. de dom. 24, 62: quum alter Cethegi consobrinum fuisse diceret.

poscebat] sic cod. Erl. Vulgo editur ‘reposcebat.’

publica et consulari] cfr. Pison. 9, 19: quum enim esset omnis causa illa mea consularis et senatoria, auxilio mihi opus fuerat et consulis et senatus.

Cap. V.

§. 11. *ullum ullius*] in codd. Erl. et Oxon. Σ. scriptum est ‘ullam illius.’

omnium libidines] hanc scripturam codicum Erl. Erf. Palat. noni recepit Gruterus cui paruerunt Garat. Weisk. Nobb. Klotz. „multo istud odiosius est in Gabinium vulgato.“ Gruter.

omnes libidines] e codd. Oxonn. quinque et Barber. ediderunt Wolf. Beck.

ne a sanctissima] in Erl. inveni ‘mea sanctissima.’ Sanctissimam partem corporis vocat caput. Notatur autem infamia oris, irrumatio, foedum nescio quod flagitium. Lactantius cuius animo obversatum esse hunc locum Ciceronianum recte viderunt interpretes in libro de institut. christ. 5, 9, 17. haec scribit: qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant ac profanent.

impuram intemperantiam] cod. Erl. ‘impuram temperantiam.’ syllaba igitur initialis littera finali ‘m’ absorpta est.

confecisset] hoc verbum prorsus respondet nostro ‘gar machen.’ cfr. Flacc. 36, 90: qui patrimonium satis lautum quod hic nobiscum conficere potuit, Graecorum conviviis maluit dissipare. Sest. 11, 26: heluo patriae! nam quid ego patrimonii dicam quod ille totum, quamvis quaestum faceret: amisit? cfr. Aesch. in Tim. §. 106. Bekker: *οὐ τοίνυν μόνον τὰ πατρῷα κατεδήδοκεν, ἀλλὰ καὶ τὰ κοινὰ τὰ ὑμέτερα ὅσων πώποτε κύριος γέγονεν.*

nisi in aram tribunatus confugisset] cfr. Sest. 8, 18: alter ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat. „Concidisset enim gravi aere alieno oppressus, nisi tribunus pleb. factus esset: in quem magistratum tamquam in portum perfugit cum ne a creditoribus appellari posset (nam magistratum gerenti molestus esse privatae rei causa nemo poterat) tum ut legem de piratico bello in eo magistratu pretio ferret.“

Manut. cfr. etiam Verr. 2, 5, 48, 126: hic locus est igitur unus quo perfugiant: hic portus, haec arx, haec ara sociorum. ibid. 2, 2, 3, 9: ut numquam... Siculi ad aram legum praesidiumque vestrum... confugerint. Caecin. 34, 100: quum homines vincula, neces ignominiasque vitant quae sunt legibus constitutae, confugiunt quasi ad aram in exsilium. Rosc. Comoed. 11, 30: sicut in aram confugit in huius domum. Brut. 2, 8: tamquam in portum confugere. Habes igitur tria vocabula: ara, portus, perfugium, quibus Romani interpretati sunt id quod Graeci ἄσυλον vocant. Gessit autem Gabinius tribunatum Metello et Marcio coss.

neque vim praetoris] „urbani qui ius de pecuniis creditis reddebat." Hotom. Wolfio turpiter ineptire videtur orator quum vim dicit praetoris de iudicio frigideque ludere verbis 'confugisset' et 'effugere.' „Vis praetoris circumscriptio est praeturae seu iudicii. cfr. de Divin. 1, 1. Nat. Deor. 2, 37, 95. Legib. 1, 7, 21: vis deorum. 1 Catil. 7, 17: vis patriae. 2 Agr. 6, 14: vis tribunicia. Sest. 13, 31: vis tribunatus. Verr. 2, 2, 5. De re publ. 1, 43: vis imperii. ibid. 2, 9: vis dominatus." Sav. Lusum autem verborum qualis a Wolfio reprehenditur, a Ciceronis genere dicendi non nimis alienum esse probat Sav. locis innumerabilibus quorum paucos citasse satis erit. cfr. Rosc. Am. 1, 3: ignoscendi — cognoscendi. ibid. 14, 39: disiuncta — coniuncta. 16, 47: conficta — effictos. 32, 89: derogo — arrogo. 32, 90: observandi — servanda. 1 Catil. 10, 27: exsul — consul. ibid. 11, 27: emissus — immissus. 12, 39: reprimi — comprimi.

bonorum proscriptionem] „praetor urbanus ex edicto mittebat in bonorum possessionem eorum debitorum qui absentes iudicio defensi non fuerant. Cum dies triginta possessa essent proscribebantur, id est, libellis palam fixis denunciabatur ea bona auctione constituta venditum iri." Hotom.

de piratico bello] „tulit enim Gabinius ut bellum adversus piratas Cn. Pompeio in triennium mandaretur." Hotom.

egestate et improb.] sic cod. Erl. et editt. Bipont. Beck. Nobb. Klotz.

et egestate et improb.] editt. Gothofred. Wolf. Weisk.

minore quidem cum rei publ.] codd. Erl. Erf. et editt. Weisk. Beck. Nobb. Klotz. Crus.

minore quidem rei publ.] ita codd. Franc. prim. Barb. utraque Venet. et aliae non nill. editt. vett. Graev. Garat. Wolfius probante Heumanno delerunt praepositionem.

hostis praedoque] coniuncta haec vocabula etiam in Verrinis inveni. 2, 2, 6, 17: si Verres non horum omnium communis hostis praedoque fuerit. ibid. 2, 4, 34, 75: Verres sacrorum omnium et religionum hostis praedoque.

quo inspectante] contra auctoritatem Erlangensis in quo scriptum est 'quo spectante' hanc recepi lectionem quam reliqui codices tuentur ad unum omnes. Quod quo iure fecerim explicabo. In adversariis meis e Cicerone enotavi plus triginta locos ubi huius verbi participium praesentis ablativo casu positum inveni. Eodem autem modo spectandi quoque verbum collocatum inveni duobus locis: Verr. 2, 1, 20, 53: omnia signa ex fanis... palam spectantibus omnibus plaustris evecta asportataque esse. ibid. 2, 4, 22, 49: hic (Verres) ibidem convivis spectantibus emblemata evellenda curavit. Facile vero inde conieci hoc spectandi verbum a Cicerone iis tantum modo locis positum esse, ubi de iusto et vero spectaculo quodam fecit mentionem. cfr. Horat. Epist. 1, 6, 60. Clodium vero legem ferentem nemo pro spectaculo habebit. Accedit quo eadem locutio invenitur etiam in Sestian. 15, 33: iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus lata lex est: ne auspicia valerent et quae sequuntur. ibid. 25, 55: nam latae quidem sunt consulibus illis — tacentibus dicam? immo vero etiam approbantibus. Attic. 3, 15, 7. Pison. 4, 9: inspectante ac tacente te.

obnunciare concilio] in Erl. inveni 'consilio' quod correxi. „Concilium populi dicitur proprie intra urbem in foro cum de legibus sciscendis civibusve iudicandis agitur: comitia vero quum in campo Martio populus ad creandos magistratus convenit." Hotom. „Concilium est conventus hominum ad aliquid agendum institutus." Manut. cfr. Sest. 30, 65: tribuno pl. concilio. vulgo 'consilio.' legendum puto 'concilio.' Nam concilium pl. dici Gellius monet quum plebiscitum rogatur." Hotom. cfr. Vatin. 6, 16. Laelius Felix apud Gell. 15, 27: is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia sed concilium edicere debet.

ne valeret] sic codd. Erl. Erf. Oxonn. tres et editt. non nulli. In Erl. praeterea scriptum est 'non valeret.' Quod correxi quia grammatica ratio flagitat 'ut ne.' Namque ut docet Madvig. ad libr. de Finib. 2, 5, 15. ea verba quae voluntatem et studium efficiendi significant, ut paene finalis notio insit, velut: oro, peto, praecipio propterea semper habent aut 'ne' aut 'ut ne.' cfr. etiam Kruegeri grammatic. latin. §. 573.

ne valerent] lect. vulgat. De lege ipsa vid. excursum secund. „Quid est quam ob rem repente de actione consulatus Gabiniani loquatur importunus locutor, quum modo ea persequi instituerct quae spem ostendissent consulatus?" Haec Wolfius. Audiamus contra Klotzium haec dicentem: „Dieser schnelle Uebergang ist hier gar nicht so auffallend wie Wolf meint. Dem Cicero liegt vor Allem daran den Gabinius als schlechten Consul darzustellen: er geht also hier von seinem früheren Handeln im Staat sogleich auf sein Consulat über, in welchem er den Clodius ruhig ruchlose Gesetze habe geben lassen."

§. 12: *supplex sordidata ad eum ven.*] sic cod. Erl.

supplex ad eum sordidata ven.] lect. vulgat.

innumerabilis multitudo] hominum enim viginti milia vestem pro Ciceronis salute mutarunt.

lenonis impudicissimi] ita codd. Erl. Erf. Lamb. Palat. Gemblac. Ahalae, S. Victorii, Oxonn. tres. Hanc scripturam damnat Wolfius. „Impuri potius dicuntur lenones quam impudici." Graev.

lenonis impurissimi] receperunt e non nullis codd. editores ad unum omnes. Ego vero ut non negaverim adiectivum 'impurus' saepius de lenone dictum apud Ciceronem inveniri, tamen nihil video cur lectio quam optimus quisque codex tuetur sit improbanda. Accedit quod 'impurus' et 'impudicus' sunt synonyma et saepius leguntur coniuncta. cfr. 2 Catil. 10, 23: in his gregibus omnes impuri impudicique versantur. 3 Phil. 5, 12: intolerabile est servire impuro, impudico. ibid. 3, 14, 35: impuris impudicis servire. 2 Phil. 28, 70: et consul et impudicissimus Antonius. Verr. 2, 5, 43, 112: impudicissima mulier. Editiones ambae Venet. 'impudentissimi.'

pedes abiecissent] cfr. Sest. 11, 26: venistis ad senatum vos inquam equites romani et omnes boni veste mutata vosque pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis. ibid. 34, 74: socer ad pedes abiectus. Milon. 36, 100: ego me plurimis pro te supplicem abieci. 2 Phil. 34, 86: supplex te ad pedes abiciebas. Non nihil indignitatis habere verbum abiciendi hoc praesertim loco nemo non videt.

cincinnatus ganeo.] idem Sest. 11, 26. vocatur cincinnatus consul.

patriae preces] „omnino patriae nomen sanctius et augustius est quam civium: et intelligitur incredibilis illa multitudo quae ex urbe cunctaque Italia convenerat." Weisk. cfr. Sest. 11, 26: qua tum superbia caenum illud ac labes amplissimi ordinis preces et clarissimorum civium lacrimas repudiavit!

neque contentus eo] codd. Erl. Erf. cfr. 2 Phil. 38, 99: contentus eo non fuisti: recepit hanc scripturam unus Garatonius.

neque eo contentus] lect. vulgata.

in contionem escendit] contra auctoritatem codicis Erl. in quo inveni 'adscendit' cum Guilielmio et Klotzio scripsi 'escendit.' Quod ut facerem persuasit mihi Doederlinius qui de hac scripturae varietate ('ascendere' et 'escendere') egregie disputavit in libro illo de Etym. et Synonym. Latin. volum. IV. pag. 60. Digna sunt eius verba quae legantur.

eaque dixit] in Erl. scriptum legi 'eumque dixit quae.' cfr. Sest. 12, 28: habet orationem talem consul qualem numquam Catilina victor habuisset.

se Nonar. Decembr.] quo die contra Catilinarios actum est in senatu. cfr. Flacc. 40, 102: O Nonae illae Decembres quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem huius urbis aut certe salutarem appellare possum. Sest. 12, 28: equites roman. daturos illius diei poenas quo me consule cum gladiis in clivo Capitolino fuissent.

clivique Capitolini] „circa templum Concordiae in clivo Capitolino quum in eo templo de coniuratis Cicero consul ad senatum retulisset, armati equites rom. praesidii causa circumsteterant. vid. 1 Catil. 8. Idem et multis annis post M. Antonius Ciceroni obiecit. 2 Phil. 7. Quod enim Cicero tuendi senatus causa

fecerat, id quasi contra leges regio more commissum Gabinius et Antonius accusarunt." Manut. ad Sest. 12, 28.

quos ei] in Erl. inveni 'quod ei.' sed correxi.

compellavit] „acrius obiurgavit, increpuit, male accepit verbis." Hotom. Dicitur hoc verbum de magistratibus potissimum cfr. infra 13, 32. 3 Phil. 7, 17: idem (Antonius) Q. Ciceronem compellat edicto nec sentit amens commendationem esse compellationem suam. Attic. 2, 2, 3.

Lucium] in codd. Erl. Erf. uno Oxon. praenomen invenitur plene scriptum. De hoc autem L. Aelio Lamia cfr. Sest. 12, 29: L. Lamiam ... in contione relegavit edixitque ut ab urbe abesset milia passuum ducenta, quod esset ausus pro civi ... deprecari. 11 Famil. 16, 2: L. Lamia Clodianis temporibus quum equestris ordinis princeps esset proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio cos. relegatus est quod ante id tempus civi romano Romae contigit nemini. Vide etiam quae de crudelissimo hoc edicto disseruit Tullius in Sest. 13, 29. 30. Conferri praeterea possunt Drumann. II. pag. 246. Dio Cass. 38, 16. Pison. cap. 27. Ascon. ad Pison. cap. 10.

et saluti ... et rei p.] sic cod. Erl. Lect. vulg. 'et saluti ... rei p.'

rei publ. pro fortunis] „quorum amplae fortunae sunt ii praesentem rei publ. statum amant, novari nihil volunt: qui vero sunt a fortunis rebusque domesticis imparati, iis res publ. cara non est: quaerunt enim novitatem rerum vel cum publica pernicie ut suis privatis vulneribus medeantur." Manut.

ex urbe] cod. Erl. et editt. non null. vulgo editur 'urbe.'

mutandam censuissetis] senatus consulto proprie de ea re facto. cfr. Pison. 35, 87: aderat mecum senatus et quidem veste mutata, quod pro me uno post hominum memoriam publico consilio susceptum est. Sest. 11, 26: senatus frequens vestem pro mea salute mutandam censuit. ibid. 12, 27: quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius quam pro uno cive et bonos omnes privato consensu et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis est causa facta, sed luctus. De vestis mutatione vide quos citat Reimarus ad Dion. Cass. 37, 33. vol. V. pag. 151. edid. Sturz et adde Ferrat. Epistl. 3, 18. pag. 226. edit. II Abresch. ad Cic. in Pison. §. 17. pag. 734. seqq. R. W. Fritzsche in Jahnii Ann. nov. vol. 38. pag. 282. seq. Ferratii disputationis haec est summa: vestis mutandae causae erant duae: calamitas sive luctus et ingens periculum (adde deprecationis causa in qua vestis lugubris sumebatur ut in calamitate accepta. vide Dion. Cass. 38, 14). Si ingens periculum bellicum imminebat, puta si Galli vel Itali vel cives ipsi arma moverant, sumebantur saga pro togis: sin qua calamitas accepta erat, aut pestis ingravescebat, vestis lugubris sumebatur idque publice: privatim autem in luctu privato. Ac tum quidem senatores veste senatoria deposita equestrem sumebant (Dio Cass. 40, 46) i. e. tunicam angusticlaviam: saepe etiam, maxime in luctu privato, togam pullam atque atratam induebant. Magistratus autem maiores in luctu praetexta dempta in sola veste senatoria fuisse videntur (Dio Cass. 56, 31). Difficilius est dicere quo modo equester ordo vestem mutaverit. Ferratius putat equites togam (immo tunicam) sine angusto clavo induisse, quod mihi quidem valde dubium videtur, quum nondum constet fueritne angustus clavus equitum insigne. vide Zumpt. de equit. roman. pag. 30. Id unum constat equites rom. in luctu anulos suos aureos deposuisse (quod senatores quoque faciebant). vide Abr. loc. cit. praeterea aeque atque plebs togam sordidam seu pullam videntur induisse." Halm.

cunctique mutassetis] „scil. iam ante privato consilio. Nam hoc rite distinguendum. De utraque re separatim etiam in Sest. cap. 11. dicitur." Haec verissime contra Wolfium monuit Weisk.

hoc idem] ita cod. Erl. 'hoc' vulgo omittitur in editt. In Erf. superscriptum est.

unguentis oblitus] cfr. Sest. 8, 18: alter unguentis affluens. 2 Catil. 5, 10: unguentis obliti. 13 Phil. 15, 31. Verr. 2, 3, 12, 31. Cic. pro Gall. frgmt. apud Nobb. tom. 10 pag. 273.

gratissimae civitatis] codd. Erl. plerique Palatt. S. Victor. Barb. et editt. veter. (amb. Venet.) „rectius gratissimae, magis enim amici luctus ad grati animi memoriam quam ad gravitatem pertinet." Hotom. cfr. Sest. 63, 131: civitatem tam gratam.

gravissimae civitatis] edidit P. Victorius nescio unde et an consulto. Mira inconstantia, ne quid gravius dicam, Wolfius probavit ille quidem scripturam 'gratissimae' sed deteriorem quae nullius codicis auctoritate nititur, cum Lambino et Heumanno recepit in editione sua. Et tamen idem in praefatione (pag. XXII.) eas fere dicit se delegisse lectiones quae elegantiores et magis Ciceronianae essent, ne ullum calumniae locum relinqueret.

nemo umquam tyrannus] cfr. Sest. 14, 32: quis tyrannus miseros lugere vetuit?... quis umquam tam crudelis fuit qui prohiberet quemquam aut sibi maerere aut ceteris supplicare? Pison. 8, 18: quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos quos luctu afficeret, lugere non sineret?

nihil indiceret] sic sol. Erlang. quod et verum mihi videtur et idem valere quod 'non prohiberet.' Lectio vulgata 'nihil diceret.' De lusu autem verborum cfr. quae attulimus exempla ad §. 11.

ediceret] in cod. Erl. mendose scriptum est 'et diceretur.'

Cap. VI.

§. 13. *Quum vero*] in Erl. inveni 'cum vero cum.'

in circo Flaminio] „de eo vide Beckeri Antiqu. rom. I pag. 604. 667. et de contionibus in eo habitis ibid. pag. 668. n. 51. et vol. II, 1. pag. 361. n. 698. et Rubin. de trib. pot. pag. 34. n. 5. Propterea autem Clodius contionem in circo Flaminio extra pomoerium habuit, ut Caesar qui cum imperio erat, posset adesse. vid. Dion. Cass. libr. 38. cap. 17." Halm. ad Sest. 14, 32.

productus in contionem] Clodius ut rogationi suae de expulsione Ciceronis aliquem iustitiae colorem inveniret, quum aliquot principes civitatis, tum in primis consules in circo Flam. produxit in contionem eosque palam audiente populo rom. interrogavit quid sentirent de M. Tullii consulatu. Respondit Piso crudelitatem sibi non placere (cfr. Pison. §. 14: crudelitatis tu furcifer senatum consul in contione condemnas?) Gabinius et Ciceronem et equestrem ordinem accusavit. Drumann. II. pag. 249. De productionis more vide orat. in Vatin. §. 24: auctoritatis exquirendae causa ceteri tribuni plebis principes civitatis producere consueverunt. Abresch. ad Sest. 14, 32. De hac tribunorum potestate optime egit Rubino in Comment. de tribunic. potest. Casellis 1825. 8. pag. 37. seqq. Haec Halmius. cfr. etiam Famil. 12, 7, 1: ea sententia dicta productus sum in contionem a tribuno pleb. de Dom. 15, 40: tu M. Bibulum in contionem, tu augures produxisti. Quir. 6, 16. Mil. 3, 8. Attic. 1, 14, 1. 2 Phil. 31, 78.

vini, somni, stupri plenus] cfr. Har. Resp. 26, 55: est quidem ille (P. Clodius) plenus vini, stupri, somni. Verr. 2, 5, 36, 94: procedit in medium vini, somni, stupri plenus. Sest. 9, 20: hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum, vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectum.

madenti coma] scil. unguentis. cfr. Virg. Aen. 4, 216: Maeonia mentum mitra crinemque madentem subnixus... Martial. 10, 19, 19: Cum furit Lyaeus, cum regnat rosa, cum madent capilli. Ovid. Amor. 1, 6, 37: Ergo Amor et modicum circum mea tempora vinum Mecum est et madidis lapsa corona comis.

composito capillo] in Erlang. scriptum est 'cōpito capillo'.

fluentibus buccis] mit schlaffen, herabhängenden Wangen. cfr. Pison. 11, 25: erant illi compti capilli et madentes cincinnorum fimbriae et fluentes cerussataeque buccae. de orat. 2, 66, 266: eiecta lingua, buccis fluentibus. De fluendi verbo translate posito optime disputavit Nägelsbach. §. 131, 4. pag. 378.

gravis auctor] cfr. Pison. §. 14: productus in contionem.... quum esses interrogatus quid sentires de consulatu meo gravis auctor... respondes... crudelitatem tibi non placere.

vehementissime displicere] cfr. Attic. 13, 21, 3: vehementer displicere. Vatin. 1, 1: vehementer placere. D. orat. 2, 18: vehementer delectari. Haec Halm. ad Vatin. 1, 1. Quibus adde: Acad. 2, 43, 133: vehementissime displicet. Imp. Pomp. 24, 69: vehementissime comprobo. Brut. 32, 122. 71, 249. Muren. 21, 44: vehementer placet. Leg. 3, 9, 22: vehementer probo.

ubi vobis] sic codd. Erl. et Erfurt. correctus, Franc. prim. Oxonn. duo. Vulgo editur 'ubi nobis.' propter magnam scripturae similitudinem non mirum est quod haec pronomina fere numquam non in codicibus inter se commutantur. Ceterum hoc loco in Erlangensi distincte scriptum est 'uobis.'

cur in lustris et helnationibus] vehementer hic locus in plerisque codd. turbatus est. In Erl. et Erf. correcto invenitur 'cur illustris etiam helluoni.' in Pithoeano legitur 'cur illustris etiam helluonis.'

calamistrati] cfr. Sest. 8, 18: alter unguentis affluens, calamistrata coma. „Est calamistrum tenue ferrum quo in cinere calefacto crispantur capilli, unde fiunt tamquam anuli qui cincinni vocantur. Intorquebat igitur sibi capillos Gabinius consul mollior et effeminatior quam et aetas illius et eius quam sustinebat personae dignitas ferebat.“ Manut. cfr. Varr. Ling. Latin. 5, 29, 36: calamistrum quod his calefactis in cinere capillus ornatur.

saltatoris] cfr. Pison. 10, 22: quum ipse (Gabinius) nudus in convivio saltaret, quum illum suum saltatorium versaret orbem. Planc. 35, 87: saltator ille Catilinae consul. de Dom. 23, 60: Campanum illum consulem cum saltatore collega. Saltationem autem Romanis probro fuisse patet ex orat. pr. Muren. 6, 13: saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere obicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine neque in convivio moderato atque honesto.

tam optima virtus] ita cod. Erl. Simile vero habes exemplum apud Ciceronem 12. Phil. 5, 11: nondum erat vestris tam gravissimis iudiciis... concisus. qua de re vid. Nägelsb. §. 93. 3. pag. 256.

Caesoninus Calventius] „L. Piso matrem habuit non romanam, sed homine Gallo natam: qui quum Placentiae consedisset, in eam civitatem adscitus postea Romam venit et Pisoni Caesonino, eius Pisonis filio quem ab Helvetiis interfectum Caesar (Bell. Gall. 1, 12) scribit, filiam collocavit.“ Manut. cfr. Pison. 6, 14: Caesoninus semiplacentinus Calventius.

fictamque tristitiam] cod. Pith. eodemque ducit scriptura quae in Erl. et Palat. nono invenitur 'victamque.' Cod. Erf. 'irritamque' sed superscriptum est 'fictamque.' Klotz. solus edidit 'irritamque' quod legitur in reliquis Palatt. Francii prim. Dresd. Vulgo editur 'versutamque' ex Victorio. Graevius Ciceronem coniecit scripsisse 'mimicamque.'

cognoscendorum hominum] insinuandi se in hominum notitiam et familiaritatem. Hotom.

praeteriens quum] 'quum' deest in Erl. sed addidi.

incultum, horridum maestumque] cfr. Sest. 8, 19: quam taeter incedebat! quam truculentus! quam terribilis aspectu! vestitus aspere... capillo ita horrido ut... 9, 21: alter multos plane in omnes partes fefellit! quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant, favebant, gaudebant...

existimares] in Erl. scriptum est 'existimasses' quod correxi.

§. 14. *cum stipite in foro*] ita codd. Erl. Erf. et editio Heumanni. Vulgo editur 'cum stipite Aethiope.' In Erf. quidem scriptum est 'cum vel Aethiope stipite' sed puncta apposita indicant verba illa esse delenda. In cod. primo Franc. legitur 'Essope.' in edit. prima 'Aesope.' in cod. Dresd. 'exope.' in Oxonn. C. X. 'esope.' H. 'vel Aethiope' T. 'aesope.' Denique abest 'Aethiope' a cod. Pith. Itaque quin recte omittatur non dubito. cfr. Pison. 9, 19: consulem requirebam qui tamquam truncus atque stipes si stetisset modo posset sustinere tamen titulum consulatus. Har. Resp. 3, 5: stipitem illum (Aelium Staienum) qui quorum hominum esset nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret.

sine sensu] sensus h. l. idem est quod sensus communis.

elinguem, tardum] cfr. Pison. 1, 1: pauci noveramus tarditatem ingenii, stuporem debilitatemque linguae.

inhumanum negotium] negotium est Graecorum πρᾶγμα, cfr. 1 Attic. 12, 1: Τεῦκρις illa lentum sane negotium. Q. Frat. 2, 13, 6: Callisthenes quidem vulgare et notum negotium, quem ad modum Graeci aliquot locuti sunt.

Cappadocem] „e Cappadocia magnum servorum venalium numerum Romam adduci solere testis est Strabo lib. XIV.“ Hotom.

abreptum de grege venalium] Erl. 'venialium.' cfr. Quintilian. 8, 2, 8: quod commune est et aliis novum intellectu, alicui rei peculiariter tribuitur: ut urbem Romam accipimus et venales novicios, quum sint urbes aliae quoque et venalia multa. Pison. 1, 1: nemo queritur Syrum nescio quem de grege noviciorum factum esse consulem. Sest. 64, 134. ubi his venalibus opponuntur ex ergastulis empti. Verr. 2, 5, 56, 146: venales Asiatici.

non ianua receptis sed pseudothyro intromissis voluptatibus] Quid sibi velint haec verba inter interpretes non convenit. Schellerus enim in Lexico pseudothyro intromittere voluptates idem esse dicit quod meretrices per posticum recipere. Similiter etiam Klotzius cuius haec sunt verba: „Heimliche Liebhaber liess man nicht zur gewöhnlichen Thüre hereintreten, sondern für sie hatte man versteckte, heimliche Thüren, dass sie unbemerkt einschlüpfen konnten. Ein anderer, obscönerer Sinn liegt sicher in diesen Worten nicht.“ Eodem prorsus modo et Nägelsbach: „es ist gewiss nicht von unnatürlicher Wollust, sondern von der Heuchelei Piso's zu verstehen. Die aufrichtigen Schwelger lassen die Lüste zu der Hauptthüre, die heuchlerischen, die nicht scheinen wollen was sie sind, zur Hinterthüre herein.“ Cui quidem interpretationi ego quoque plane assentior. Graevius contra significari existimat istis verbis quod Piso et adversus et aversus fuerit impudicus. Ernestius autem de scortis masculis intellexit haec verba quae Osiander interpretatus est ita: Der die Lüste nicht durch das Thor, sondern durch eine Nebenthüre hereinliess! — Andeutung der unnatürlichen Wollüste, denen Piso sich hingab — „Pseudothyro tale quid significatur quale verbis §. 11: 'ne a sanctissima' . . .“ Weisk.

belua immanis] sic codd. Erl. et Erfurt. correctus, quod Lambin. Garat. Weisk. recte praetulerunt vulgato 'helno.' Afferam autem ipsa Garatonii verba: „quis neget hoc Pisoni convicium optime convenire? tum propter hominis crudelitatem, tum propter insanas cupiditates, tum etiam propter illam tarditatem ingenii stuporemque naturae. Non tam Pisonis est proprium illud 'heluo' et hoc loco ubi sermo de litteris est, aptius 'belua' dicitur, quum ad eas perdiscendas non ingenium afferret ullum, non gustum aliquem hominum politorum et elegantium ut fit consuetudine usuque formatum, nihil denique quod speciem haberet aliquam humanitatis. Erat enim plane, ut modo Tullius dixit, inhumanum negotium.“ Ceterum frequenter hoc convicio usus est Cicero, sic enim appellavit:

I. Catilinarios cfr. Sull. 27, 76: beluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae forma hominum indutae exstiterunt.

II. C. Verrem cfr. Verr. 2, 5, 42, 109: belua immanis.

III. P. Clodium Pulchrum. cfr. Milon. 12, 32. 15, 40. 31, 85. Har. Resp. 3, 5. Sest. 7, 16. Leg. 3, 9, 22: furor impurae beluae.

IV. L. Pisonem Caesoninum. cfr. Pison. 1, 1. 4, 8: importuna belua prov. cons. 7, 15: belua tam immanis tamque taetra. Pison. 14, 31: immanissimum ac foedissimum monstrum.

V. M. Antonium triumvirum. cfr. 3 Phil. 11, 28: taeterrima belua. 4 Phil. 5, 12. 7 Phil. 9, 27.

VI. L. Antonium Marci fratrem. cfr. 12 Phil. 11, 26. 10 Phil. 10, 22. Eadem denique quae h. l. lectionis varietas invenitur etiam 13 Phil. 5, 11.

philosophari] de Pisone Epicureae philosophiae sectatore vide Sest. 10, 23. Pison. 9, 20. Sest. 51, 110. Satis plane his locis indicat Cicero non doctrina, sed voluntate Pisonem fuisse Epicureum. Qui enim eorum nomina quorum sectam sequebatur, ignoraret, ex hominum sermonibus et ex naturali quadam propensione potius quam ex libris genus illud philosophiae cognovisse putandus est. Est igitur Epicureus Piso i. e. non admodum laudandae philosophiae studiosus et indoctus tamen Epicureus. Manut. ad Sest. 10, 23. „Hinc ait in Pison. 16, 37: Epicure noster ex hara producte, non ex schola. Quam nihil didicerit a philosopho graeco quem secum habebat, ostendit Cicero in eadem orat. cap. 28.“ Matth.

quaecumque est] „prudenter hic orator ut Romanus homo loquitur. Alibi et nosse se ostendit et graviter vituperat Epicuri disciplinam.“ Weisk.

captus uno verbo volupt.] cfr. Sest. 10, 23: verbum ipsum voluptatis omnibus animi et corporis sensibus devorabat.

habet enim] sic optime sol. cod. Erl. Vulgo editur 'habet autem.'

ineptis] ineptos hic vocari eos quos nostro sermone dicimus 'Pedanten' bene vidit Wolfius. cfr. Nägelsb. §. 8, 2. pag. 30.

ac de virtute] hanc recepi lectionem vulgatam: in Erl. deest praepositio. Ceterum cfr. de hac re quae disputavit Nägelsb. §. 121.

§. 15: *vestigant atque odorantur*] cfr. Verr. 2, 4, 13, 31: odorabantur omnia et pervestigabant.

aestimant] sic scripsi contra Erlangensis auctoritatem in quo inveni 'existimant.' Conferri possunt de horum verborum commutatione saepe in codd. obvia quae docte disseruit Doederlinius Etym. et Synon. Lat. V. pag. 301. Reisig. §. 177. pag. 297.

prudentissimam civ.] sic cod. Erf. Oxonn. quattuor quam scripturam receperunt Nobb. et Klotz. In Erlangensi inveni 'pdentissimam' quod quem ad modum legendum sit mihi non liquet. Primum enim quum 'pudentissimam' legendum existimassem, analogiae cuiusdam postea vetigiis deductus sum in eam opinionem ut veri mihi videretur similius 'prudentissimam' scriptum fuisse in vetere exemplari quod secutus est librarius noster. Simile enim usus scripturae compendio saepius omisit litteram r. veluti quum scriberet: dcta = decreta. cditorum = creditorum. incdibile = incredibile.

pudentissimam civ.] „quam qui fundarunt alienissimi ab otio et voluptatibus, virtuti et industriae deditissimi fuerunt." His nimirum verbis Hotom. defendit hanc scripturam quam receperunt Garat. Beck. Wolf. Weisk. Et defendi utique potest haec quoque lectio quamvis miros Wolfio excitarit cachinnos. Haud enim ita absurdum esse hoc civitatis epitheton testis est ipse Tullius pro Flacc. 23, 55: civitatis pudentis ... iustum dolorem querelasque cognoscite. Ceterum de frequenti horum adiectivorum permutatione vide Jordan. ad orat. pro Caecin. 35, 102. pag. 295.

si modo vultum.] Hic Pisonis vultus in Sestian. et in Pison. suis copiose coloribus depingitur. Ad rem autem cfr. 1 Famil. 9, 16: fronte atque vultu simulatio facillime sustinetur.

Cap. VII.

Quae in ipso capitis initio leguntur verba, ea in codicibus ad unum omnibus, ne Erlangensi quidem excepto, foedissime depravata sunt. Unde facile conieceris vetustissimam esse hanc corruptelam atque primi fortasse librarii vel negligentiae vel inscitiae attribuendam. Ex diversis vero scripturis quum certi quidquam nondum potuerit extricari, libenter Nägelsbachii recepi coniecturam. In Pithoeano autem codice leguntur haec verba: 'sed me quamquam quidem minime non cognoscatur a me propter Pisonum affinitatem quamquam longe hunc ab hoc genere cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset' ... quocum prorsus consentit Erlangensis praeterquam quod pronomen 'hunc' librarii culpa excidit. Unde Graevius — quem unus secutus est Garatonius — sic edidit: 'Is me quidem minime — cognoram enim propter Pisonum affinitatem quamquam longe hunc cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset' — Idem genuinam hanc fuisse Tullii manum arbitratur. Gruterus vero cui recentiores paruerunt omnes edidit: Is me — quamquam me quidem non — cognoram enim propter Pisonum affinitatem quam longe hunc ... abstulisset ...

quamquam me quidem minime] cfr. Tuscul. 1, 17, 40: quamquam hoc quidem minime.

abstulisset] cfr. Famil. 2, 7: te hortor ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. ibid. 8, 17: nam mihi sentio bonam mentem iracundia et amore ablatam. Haec exempla attulit Sav.

sed rugis] in Erl. mendose scriptum est 'si rugis.'

decepit] cfr. prov. consul. 5, 12: quod ille vos tristitia vultuque deceperit.

§. 16. *L. Piso*] apostrophe ad absentem qualis etiam invenitur Sest. 14, 32. Milon. 37, 102. 1 Phil. 13, 1. De Pisonis autem vita conferri possunt quae enarravit Drumann. II. pag. 77—79.

tanto supercilio] in Erl. excidit 'tanto' in Pithoeano deest 'supercilio.'

isto oculo ... ista fronte] cfr. Pison. 1, 1: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit, hic eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, induxit. Sest. 8, 19: nam quid ego de supercilio dicam quod tum hominibus non supercilium, sed pignus rei publicae videbatur? Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio annus ille niti tamquam vade videretur. Pison. 6, 14: respondes

altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio... prov. consul. 4, 8: lateant libidines eius illae tenebricosae quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat. „Verba oratoris luculente significant Pisonem oculo, fronte, supercilio id assequi voluisse, quod animo, vita, rebus gestis persequuntur alii, ut vir bonus ac fortis haberetur: neque vero, si constat veteres oratores ex corporis deformitate et vitiis saepe materiam ad iocandum sumpsisse, aliquid absurdi in his antithetis videre possum. Denique metuendum erat Pisoni ne personam quam susceperat non amplius sustinere posset, si propter societatem consiliorum Gabinio similis esset existimatus. Itaque non pudor, sed metus: non modestia, sed prudentia: non laudis ac gloriae cupiditas, sed ambitio et honorum contentio ab ista societate eum revocare poterat. Ac rectius dicitur 'tune ausus es' quam quod Wolfius desiderat 'te non puduit': constanter etiam in Pisonianae capp. 8. 14. 15. audendi verbum, non pudendi ponitur.“ Haec rectissime contra Wolfium disputavit Savels.

isto animo] cfr. Sest. 9, 22: animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur.

tantis rebus gestis] sic cod. Erl. Vocabulum 'rebus' in Erfurt. a manu secunda, sed antiqua additum, deest in reliquis omnibus codd. et editt. vett. receperunt autem praeter Wolfium, Beckium, Salvelsium editores omnes.

A. Gabinio] sic cod. Erl. praenomen excidit in codd. Erfurt et Oxonn. sex.

notata] in codd. Erl. et Palat. nono legitur: 'non otata.'

frontis tibi integumento] cfr. Pison. 6, 12: istius insignis nequitia frontis involuta integumentis. Coel. 20, 47: flagitiorum integumenta quaerere...

tu coire] codd. Erl. et Pith. tuentur pronomen 'tu' quod iure asciverunt editores praeter Wolfium et Klotzium omnes. „Coire semper fere in malam partem accipitur pro societatem inire seditionum, tumultuum excitandorum causa, ut conspirare, coniurare.“ Graev.

provinciarum foedere] cfr. Sest. 10, 24: foedus fecerunt cum tribuno pl. palam, ut ab eo provincias acciperent quas ipsi vellent... ea lege si ipsi prius tribuno pl. afflictam et constrictam rem publicam tradidissent: id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant.

addiceres] scil. tribuno pl. Addicere alicui aliquid nihil aliud significat quam ita permittere ut liberam prorsus et infinitam eius rei habeat potestatem. Petita enim est imago ab obaeratis qui creditorum nexi fiebant. cfr. Pison. 24, 56: addicebas tribuno pl. consulatum tuum.

senatui populi rom.] sic solus cod. Erl. Vulgo legitur: 'senatui populoque rom.' Erlangensis autem scriptura mihi longe videtur praeferenda. Tantum enim abest ut affirmare ausim edictum illud quo qui deprecandae Tullii salutis causa sordes induerant, ad suum vestitum redire iussi sunt, ad omnes omnino pertinuisse qui vestem mutaverant, ut pluribus ex locis suspicari liceat, senatores solos vestem lugubrem deponere iussos esse. Qua de re cfr. in primis Sest. 14, 32: erat igitur in luctu senatus: squalebat civitas publico consilio (rectius supra 12, 27. dixerat 'privato consensu') quum subito edicunt duo consules ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit. 14, 33: civis... optime de salute patriae meriti periculum... lugere senatui non licebit? ibid. 23, 52: numquam denique erit tam oppressus senatus ut ei ne supplicandi quidem ac lugendi sit potestas. de Dom. 43, 113: duo sunt inventi... qui pro me patres conscriptos deprecari et populo supplices esse edictis atque imperio vetarent. Quibus ex locis ad senatum solum pertinuisse edictum illud statuere non dubitarem, nisi alium etiam invenissem locum quo res iterum in dubium vocatur. Legimus enim Sest. 14, 32: etiamne edicere audeas ne maererent homines meam... calamitatem, ne hunc suum dolorem veste significarent?... quis umquam tam crudelis fuit qui prohiberet quemquam aut sibi maerere aut ceteris supplicare? Utcumque autem de re parum explorata statueris, satis erat ab oratore in senatu verba faciente commemorari eas consulum iniurias quas huic potissimum ordini intulerant. Deinde et sententiae et auctoritas ad solum pertinent senatum nec est quod cum Wolfio statuamus sententiis usum esse scriptorem pro suffragiis.

sententiis, auctoritate] sic codd. Erl. et Pith. Vulgo editur 'sententiis atque auctoritate.'

ne vultu quidem] codd. Erl. Pith. Erf. correctus quam scripturam vulgatae 'ne luctu quidem' praeferendam esse recte viderunt Graev. Lallem. Garat.

§. 17. *putabas . . . consulem te esse*] codd. Erl. Erfurt.

te putabas . . . consulem esse] lectio vulgata.

domicilium quondam superbiae.] cfr. 1 Agr. 7, 20: si luxuries, Hannibalem ipsum Capua corrupit: si superbia, nata inibi esse haec ex Campanorum fastidio videtur. 2 Agr. 33, 91: illam Campanam arrogantem atque intolerandam ferociam. 34, 93: Campano supercilio . . . 35, 95: Campani semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. 35, 97: coloni Capuae in domicilio superbiae atque in sedibus luxuriosis collocati . . . Ceterum veterem illam Capuam, superbiae domicilium, bene distinxit Cicero a nova Capua, colonia recens deducta. De illa vetere loquitur Pison. 11, 24: fuit pompa, fuit species, fuit incessus saltem Seplasia (quae erat Capuae platea) dignus et Capua. ibid. 11, 25: erant illi . . . buccae, dignae Capua sed illa vetere: nam haec quidem quae nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium mihique amicissimorum multitudine redundat. Hanc autem novam Capuam numquam non summo opere laudavit quia egregiam revocando exsuli navaverat operam. De Pisone vero duumviro Campano cfr. Sest. 8, 19: Capua in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat.

consulem te esse] „hoc serio accepit auctor ac simpliciter incautus facit nobis hominem simul Capuae et Romae consulem. Est illud egregium specimen inscitiae publicarum rerum et scriptorum Ciceronis et condicionis qua usa est illa urbs inde a tempore Hannibalis. Mirabatur ergo locum hunc eruditissimus Hotomanus, sed dubius ipse rem aliis expediendam reliquit.“ Haec Marklandus, contra quem Gesnerus: „vir alias perspicax non vidit amaram hic irrisionem esse. Aperte profecto irridet superbiam illam Campanorum qui et alterum consulem Romae dare et suos duumviros consules vocari postularunt.“ „Wolfius ipse ambigit utram in sententiam discedat. Proprie autem et vere consules in municipiis quibusdam dictos fuisse summos magistratus contenderunt Everardus Otto (de aedilibus coloniar. et municip. Lips. 1732. pag. 61.) et Neumannus (Hermes 1827. XXIX. pag. 295.) quae sententia prorsus refutata est a Velsero (Rupertus) et Orellio (Inscript. nr. 3775—3784). Didici hoc ex libro illo qui inscribitur „Realencyclopaedie“ cuius evolvas si placet, volum. alterum. Ego vero damnata Marklandi sententia Gesnerum verum vidisse exploratum habeo.

sicuti eras] ita cod. Erl. Vulgo editur 'sicut eras.'

senatui paruerunt.] Quid sit senatui parere sive senatus auctoritati obtemperare — quod legimus 3 Phil. 10, 26 — ipse nos edocet Cicero qui de consulatu suo haec dicit — Pison. 3, 7 —: ita est a me consulatus peractus ut nihil sine consilio senatus . . . egerim. 2 Phil. 5, 11: quid enim constitui, quid gessi nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? Cfr. locutionem Livianam eiusdem potestatis: consules esse in patrum (sive senatus) auctoritate.

cum tuo illo pari] de hoc adiectivo pro substantivo posito conferri possunt quae disseruit Nägelsb. §. 25. 6. pag. 83.

semper te] ita cod. Erl. vulgo editur 'te semper.'

misericordem fuisse] in Erl. inveni 'misericordiae fuisse.'

pestem depulissem] codd. Erl. Erf. Pith. Palat. nonus. Receperunt hoc Gruter. Graev. Garat. Klotz. I. Depulissem scil. ex auctoritate senatus.

depulissent] ediderunt Lambin. et Klotz. II.

depellerent] Heumann. Ernest. Wolf. Weisk. Sav.

depellerem] edidit Nobbius nescio quo iure. Beckio vero sex haec verba quia desunt in codd. Dresd. Barb. Francii prim. Guelf. Oxonn. quinque valde videntur suspecta. cfr. Muren. 36, 52: omnes qui illam ab re publica pestem depellere cupiebant.

crudeles] in Erl. inveni singularem numerum quem correxi.

comitiis tuis] cod. Erl. Beck. 'comitiis [tuis].'

tuis comitiis] codd. Erfurt. Pith. et editt. Graevii, Garat. Nobb. Klotz. cfr. 2 Agr. 2. 4: meis comitiis.

comitiis.] Wolf. quia deest in Oxon. omnibus omisit pronomen itemque Weisk.

custodem feceras] sic cod. Erl. Vulgo editur 'custodem praefeceras.' „Custodes tabellarum aderant ut ne qua pars surriperetur in fraudem candidati neve

fasces eiusdem commoda immitterentur. Hic prius est maxime spectandum. Quum igitur Piso in comitiis quibus ipse consulatum petebat, Ciceroni munus illud custodiae mandasset, ut homini maximo fido et amico, sua perfidia et crudelitate eo gravius peccavit." Weisk. cfr. Pison. 5, 11: cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae, quem in senatu sententiam rogabas tertium.

constrictum . . . tradidisti] cfr. Quir. 5, 13: nisi me constrictum domesticis hostibus dedissent. de Dom. 9, 23: L. Pisoni . . . populos liberos vinctos et constrictos tradidisti. ibid. 43, 113: duo sunt inventi qui senatum tribuno furenti constrictum traderent. Sest. 10, 24: si ipsi prius tribuno pl. afflictam et constrictam rem publ. tradidissent.

meum generum] cfr. Sest. 24, 54: gener et Piso gener a Pisonis consulis pedibus supplex reiciebatur. cfr. etiam Drumann. II. pag. 276.

idemque tu] codd. Erl. et lectio vulgata. E codice Erf. edid. Klotz 'idem tu.'

paterere] cod. Erl. et lect. vulg. E cod. Erf. edid. Klotz. 'patereris.' cfr. Sest. 24, 54: hac tanta perturbatione civitatis ne noctem quidem consules inter meum interitum et suam praedam interesse passi sunt. ibid. §. 53: illo inquam ipso die, die dico? immo hora atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publ. pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est. Sest. 19, 44: qui eamdem horam meae pestis et suorum praemiorum esse voluissent. ibid. 10, 25: promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie et de provinciis consulum nominatim.

praedam tuam] sic cod. Erl. Vulgo editur 'tuam praedam.'

dum conticesceret.] In Erl. scriptum est 'cum contisceesceret.'

§. 18. *factum fuerat*] sic cod. Erl. Lectio vulgata: 'factum erat.'

occidisse rem publ.] Optimus quisque codex hanc scripturam tuetur, in deterioribus libris scriptum est 'concidisse.' Eadem prorsus lectionis varietas invenitur in Sullan. 31, 88. „Differentiam inter haec duo verba constituit Cicero de Dom. 36, 96: remque publ. concidere unius discessu quam omnium interitu occidere malui." Henricus Stephanus.

arbitria funeris] cfr. Pison. 9, 21: eodem in templo eodem et loci vestigio et temporis arbitria non mei solum, sed patriae funeris abstulisti. de Dom. 37, 98: videre praetextatos inimicos nondum morte complorata arbitria petentes funeris. „Arbitria funeris proprie dicuntur mercedes quae pro cura funerum libitinariis, vespillonibus, aliis id genus ministris solvebantur. Eorum arbitrium fuisse penes praetorem vel magistratum municipalem constat ex Digest. lib. XI. titul. VII. leg. XII. §. 6." Schütz. index latinit. Cicer. Alii aliter definierunt arbitria funeris quorum opinionibus omnium examinatis Garatonius ita concludit ad orat. de Dom. cap. 37: „Compertum est locari funera consuevisse. Consules ergo tamquam funeris rei publ. conductores iidemque arbitri amplissimam quam ipsi fecerant eius funeris aestimationem a Clodio morte illa vix obita postularunt provinciis nempe et quae alibi commemorantur. Haec mea coniectura est quam ne sim longior non exornabo, quum praesertim rem caligine antiquitatis obductam pervidisse me non contendam." „Cuius explanationem si probaris, arbitria et praemia funeris rei publ. inter se non multum differre videbuntur. Ac praemia ponuntur (prov. consul. cap. 2) Syria et Macedonia cfr. ibid. cap. 6: 'his ipsis praemiis extortis . . . Iam si dederis arbitria in ipsis funeribus non minus nota fuisse senatoribus rom. quam praemia, repetitionem illius vocis non magis quam huius reprehendere debebis. Attamen non inutile duco alias repetitiones a Cicerone factas recitare, quo magis intelligas quam inique Wolfius hoc loco indicarit. Ac ne longum sit duas tantum orationes comparabo:" Sav.

1 Catil. 5, 12: exhaurire sentinam rei publ.

2 Cat. 4, 7: sentinam urbis eicere.

1 Cat. 7, 16: subsellia vacuefacta.

2 Catil. 6, 12: partem illam subselliorum . . . nudam atque inanem reliquerunt.

1 Cat. 9, 22: dum modo ista sit privata calamitas et a rei publ. periculis seiungatur.

2 Cat. 7, 15: dum modo a vobis (Quirites) huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur.

1 Cat. 9, 24: a quo etiam aquilam illam argenteam quam tibi ac tuis omnibus confido perniciosam ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam.

2 Cat. 6, 13: quum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium domui suae fecerat, scirem esse praemissam.

1 Cat. 12, 30: quod si se eiecerit secumque suos eduxerit et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregarit...

2 Cat. 11, 24: contra illam naufragorum eiectam ac debilitatam manum florem totius Italiae ac robur educite.

diripiebatur] cfr. de Dom. 24, 62: domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem transferebatur... columnae marmoreae ex aedibus meis... ad socrum consulis (Pisonis) portabantur: in fundum autem vicini consulis (Gabinii) non instrumentum aut ornamenta villae (Tusculanae) sed etiam arbores transferebantur. Sest. 24, 54: bona diripiebantur eaque ad consules deferebantur. cfr. et Milon. 32, 87.

ardebat] cfr. Sest. §. 54: domus ardebat in Palatio, consules epulabantur. de Dom. 24, 62: domus ardebat in Palatio non fortuito, sed oblato incendio. Pison. 11, 26: an tu eras consul quum in Palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus iniectis instigante te. Ecquod in hac urbe maius umquam incendium fuit cui non consul subvenerit? An tu illo ipso tempore apud socrum tuam prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas non exstinctor sed auctor incendii et ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabas.

item ad vicinum] sic cod. Erl. Vulgo editur 'ad item vicinum.' in codd. Oxonn. duob. Dresd. Barb. Franc. prim. et edit. 1472. deest 'item.'

alterum consulem] A. Gabinium qui ad caelum exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarii, quod legimus in orat. de Dom. 47, 134. cfr. etiam Sest. 43, 93. Pison. 21, 48.

isdem operis suffrag. ferentib.] Eadem prorsus verba leguntur in Sestian. 26, 57. In Oxon. C. legitur 'hisdem.' vulgo editur 'iisdem.'

vacuo a bonis] namque — quod legimus in Pison. 10, 23 — viri boni e foro lapidibus pulsi sunt.

a liberis] cfr. Sest. 24, 53: vasto ac relicto foro et sicariis servisque tradito. Leg. 3, 11, 25: non enim plebes incitata nostris rebus invidit: sed vincula soluta sunt et servitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Parad. 4, 27: quae est enim civitas? omnisne conventus etiam ferorum et immanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? praedonum ille concursus et te duce latrocinium in foro constitutum.

inani foro.] in Erl. inveni 'inanu foro.' Contrarium est 'pleno ac referto foro' 7 Phil. 8, 22.

ignaro populo rom.] „nihil gravius excogitari potuit ad exprimendam audaciam et impotentiam Clodii quam hoc ipsum ignorasse populum rom. quid ageretur. Necessario enim solus populus rom. id quod agebatur agere debebat et tamen res agitur et conficitur ipso ignaro." Weisk.

aerarium.] Exhaustum aerarium Pisoni saepius crimini datur in Pisoniana. Sest. 24, 54: omitto... partitionem aerarii.

provinciae] cfr. de Dom. 21, 55: Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia... ibid. 26, 70: prov. cons. capp. 1. 2. 4. 7. Pison. 24, 57. Attic. 3, 1. Plutarch. vit. Cicer. cap. 30. Singulae autem provinciae a Cicerone enumerantur de Dom. 23, 60: quum alteri totam Achaiam, Thessaliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam omnemque barbariam, bona civium rom. condonasses, alteri Syriam, Babylonem, Persas integerrimas pacatissimasque gentes ad diripiendum tradidisses... Sestian. cap. 43. ibid. 10, 24. Drumann. II. pag. 261. 262.

legiones] cfr. prov. cons. 3, 5: iam vero exercitus ille noster superbissimo dilectu et crudelissima conquisitione collectus omnis interiit. Sest. 33, 71: neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu neque equitatum in Syria et cohortes optimas perdidissemus.

imperia] cfr. de Dom. 9, 23: quis imperium infinitum dedit? 21, 55: utrique infinitum imperium dabatur.

Cap. VIII.

ruinas... *fulsistis*] id est rem publicam ab his consulibus ita quassatam ut brevi casura fuisset, vestra virtute erexistis. cfr. Vatin. 8, 11: ut recorder ruinas rei publicae. Sest. 2, 5: in ruinis eversae atque afflictae rei publicae. Rei publicae autem ruinas Wunderus interpretatur de legibus institutisque publicis eversis.

fulsistis] in codd. Erl. et Erfurt. scriptum est 'fulcistis.'

ac diligentia] sic. cod. Erl. Vulgo editur: 'et diligentia.'

sublevastis] ita codd. Erl. Barb. Francii prim. et editt. Manutil. quam scripturam damnare non ausim. „Es fragt sich sehr, ob sublevastis im Sinn von „aufrichten" nicht die wahre Lesart ist." Nägelsb. Editores ad unum omnes receperunt 'sublevati' nescio qua freti auctoritate. Nempe senserunt idem quod Graevius haec dicens: „non ruinae sublevatae sunt, sed consules sublevati tribunorum fide ruinas fulserunt."

§. 19. *quid ego*] in codd. Erl. et hoc loco et saepius inveni 'ergo' pro 'ego.'

de T. Annio] cfr. laudes quibus Milonis tribunatus effertur in Sestian. 40, 86. 87.

de tali cive satis digne] in Erl. scriptum est 'de tali cive vel satis digne.' Haec scriptura quam solus tuetur Erlangensis, si vera est, necessario statuendum erit excidisse aliquot verba. Fortasse dixerat Cicero 'satis copiose vel satis digne.' fortasse etiam 'satis ornate vel satis digne.' Nägelsbachio 'vel' dittographia videtur. „Fuit olim 'ciuei', i. e. civi, scriptum. Hinc nata διττογραφία. Klotz.

sceleratum civem videret] in cod. Erl. legitur 'Milonem sceleratum civem videret.' Hoc vocabulum quod in Erfurt. quoque a manu secunda superscriptum est, additum videtur a sciolo quodam ineptissimo.

aut domesticum potius hostem] cfr. Sest. 17, 39: perditorum civium vel potius domesticorum hostium.

si legibus uti liceret] cfr. Sest. 40, 86: perfecit ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo neque in rei publicae periculo pertimesceret.

iudicio esse frangendum] cfr. Sest. 40, 86: oportere hominum audacium sceleri legibus et iudiciis resistere.

sin ipsa iudicia . . tolleret] cfr. ibid.: si leges non valerent, iudicia non essent.

manum manu] Palatini aliquot, item Gemblac. Erf. Erl. Pith. 'manum copiis.' Iure nemo editorum illorum codicum paruit auctoritati.

vim vi] cfr. Sest. 17, 39: vim vi depulsam. ibid. 41, 88: vim vi oblatam . . .

postulavit] in cod. Erl. inveni 'postulabat' sed correxi. Iure Wolfius h. l. castigavit Middletoni, Hotomani, Manutii errorem, qui quidem opinati sunt postulatum esse a Milone Clodium ob oppugnatam Milonis domum. Haec vero postulatio tempore prior fuit quam illa oppugnatio, qua de re vide Drumann. II. pag. 292. cfr. Milon. 13, 35: reus Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit.

sublata esse vidit] Opera enim Metelli consulis, Appii praetoris, Serrani tribuni pl. connivente senatu factum est ut comitia haberentur ante iudicium designatusque aedilis curulis periculum illud declinaret Clodius: quum designati magistratus nulla alia lege accusari possent quam de ambitu: at Clodius reus erat lege Plotia de vi." Ferrat. pag. 201. vide etiam Drumann. II. pag. 293. Milon. 14, 38. Har. Resp. 24, 50. Sest. 41, 89.

ab intestino latrocinio] idem est quod Sest. 1, 1: latrocinium domesticum. Quare etiam Milonem in Sestian. 69, 144. vocat exstinctorem domestici latrocinii. „Non solum de Clodii contionibus cogitandum est, sed omnes omnino turbae et caedes a Clodianis in Cicerone et expellendo et restituendo commotae hac voce contineri videntur." Halm. ad Sest. 1, 1.

bonis metum] sic cod. Erl. Lectio vulg. 'metum bonis.'

depulit civitati] Hunc dativi usum quem Ciceronianum esse negavit Wolfius, defenderunt Garat. Ernest. Weisk. exemplisque eum confirmare conati sunt. Sunt autem haec: 5 Famil. 20, 4: ut multa tam gravis Valerianis praedibus ipsique T. Mario depelleretur. Tusc. Disputt. 3, 32, 77: ut sibi virtutem traderet turpitudinemque depelleret. His vero exemplis nihil probari censet Wolfius verbo

absolute posito, pendente aliunde dativo. Quod utrum recte an falso statuerit dubitari etiam potest. Weiskius quidem et Sav. negarunt his locis posse dativum pendere aliunde. Unum constat solere utique Ciceronem et hoc et similia eius generis verba iungere cum praepositione. Neque tamen non inveni locos ubi a consueto more recessisse Tullius videtur ex quibus unum afferam nostro simillimum. Legimus enim in Verrin. 2, 5, 49, 130: hunc ego si metum Siciliae deiecero. Simillimum ideo dixi quia depellendi non magis quam deiciendi verbum a Cicerone solet coniungi cum dativo. Sed et aliud in promptu est exemplum ex quo intelliges Tullium haud quaquam constanter eius modi verba iunxisse cum praepositione.

Brut. 85, 292: est enim et minime inepti hominis et eiusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptatur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem qui eam sibi arrogant.... Acad. 1, 5, 15: Socrates de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat iis quos volebat refellere. Quare recte mihi videor statuere hunc dativi usum et Tullianum esse nec solis concessum poetis. Nullo prorsus iure, ne uno quidem codice suffragante, Lambinus ex ingenio edidit 'metum a bonis, timorem ab hoc ordine, servitutem depulit a civitate.'

§. 20. *quam rationem*] Iure Klotzius hoc loco contra Wolfium monuit haec: „Wenn man sich gewundert hat, dass Cicero von Milo und Sestius mehr spreche, als von den übrigen, so waren sie beide mit Cicero von jeher enger verbunden gewesen als jene und hatten um desswillen sich auch um so eifriger für seine Wohlfahrt bemüht. So konnte der Redner, ohne die anderen, die er ja auch insgesammt ehrenvoll und dankbar erwähnt, zu beeinträchtigen, ihrer auch vor Allen und mit ausführlicheren Worten gedenken. Noch thörichter ist aber hier die Frage, warum der Redner hier nicht gegen die zwei Tribunen — Numerius Quinctius, Atilius Serranus — sowie gegen den Praetor App. Claudius zu Feld gezogen sei. Denn so viel Geschick konnte man dem Cicero wohl zumuthen, dass er nicht werde magistratus populi romani, die noch im Amt waren, auf diese Weise bei einer Dankrede verletzt haben, was er auch selbst §. 23. ausspricht.“

secutus est, pro] sic codd. Erl. et Erf. a manu secunda et editio Klotz. I. Est asyndeton explicativum de quo bene disputavit Nägelsb. §. 199. 1. pag. 554. Lectio vulg. 'secutus pro.'

mea salute] cfr. Sest. 58, 124: P. Sestius tribunus plebis quum ageret nihil aliud in eo magistratu nisi meam causam.

exagitat. contionibus] in codd. Pith. et Erl. legitur 'cogitationibus'. in Dresd. et Franc. primo 'contentionibus.'

officiis sustentavit] cfr. 3 Attic. 23, 5: Terentiam ... sustentes tuis officiis.

iuxta ac si] „ita iunctae hae particulae non sunt usus Ciceroniani.“ Wolf. Neque aliter iudicavit Reisig §. 225. pag. 416: „iuxta im Sinn von aeque ac ist dem Cicero fremd.“ „Nescio an particulae 'non secus ac si' quae in orat. pro Muren. (cap. 4. §. 10: non secus ac si meus esset frater) leguntur, alio loco non reperiantur. Sed fac praeter 'iuxta ac si' nullas alias apud Ciceronem particulas semel poni, quid inde sequitur? Num idcirco non sunt latinae? non Ciceronianae? Grammaticorum audacia plurimae voces exstinctae sunt quae semel legebantur, sed complures etiam nunc quum in aliis tum in libris de re publ. nuper editis supersunt.“ Savels.

verum etiam socius] parum Wolfius haec verba intellexisse videtur. Non enim — id quod Wolfius existimavit — socium dixit orator visum esse Sestium ideo quod ipsum sustentavit, sed propterea quod eum ita sustentavit ut Tullii calamitate aeque videretur commotus Sestius ac si ipse ea esset afflictus.

§. 21. *officia, studia*] sic codd. Erl. Erfurt. Pith. Dresd. Lamb. Barb. et editt. anni 1472. Gruteri, Klotzii.

officia studiaque] vulgo editur e cod. Franc. primo aliisque. Ad rem ipsam cfr. Muren. 3, 7: ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia pro nostra necessitudine et debuisse confiteor et praestitisse arbitror.

videtis] sic solus cod. Erl. quem secutus sum. „videtis hat sehr viel für sich.“ Nägelsb. Vulgo editur 'vidistis.'

quam cupidus mei] cfr. Sull. 27, 75: tales viros, tam cupidos sui. Planc. 23, 55: multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae. ibid. 19, 46.

non varius] id est idem semper sibique constans. cfr. Lael. 25, 92: si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex.

M. Cispius] tribunus pl. fuerat a. u. c. 697 et ut Cicero restitueretur cum aliis efficere studuerat. Itaque quum postea de ambitu accusatus esset, ita eum Cicero defendit ut propter eius in se merita absolvendum putaret. Sed iudices Ciceronis precibus non passi sunt se commoveri Cispiumque condemnarunt. Didici hoc ex Orellii Onomast. cfr. etiam Planc. 31, 75. 76. Sest. 35, 76.

voluntas esset offensa] cfr. Nägelsb. §. 50. 2. pag. 137. Praeter locos ab eo citatos conferri quoque possunt Flacc. 3, 6: in tam varia iuris dictione tot hominum gratiosorum laesae voluntates. 2 Attic. 21, 5: quod solet ea res populi voluntatem offendere. Muren. 23, 47: voluntas offensa multorum.

in privato iudicio] de hac re nihil certi scimus: dubium est utrum Cicero iudex an patronus Cispiorum laeserit voluntatem.

obliteraverunt] sic editt. Weisk. Nobb. in Erl. scriptum est 'oblitaraverunt.'

oblitterarunt] vulgo editur e cod. Franc. prim. aliisque.

T. Fadius] de T. Fadio Gallo cfr. Q. Frat. 1, 4, 3. Famil. 5, 18. Drumann II. pag. 282.

M. Curtius] vide excursum tertium.

huic necessitudini] vide quae annotavimus ad 14, 35.

animo] „hoc postremum 'animo' iners est et loco minime aptum." Wolf. Iure contra Sav. „animus hoc loco vim fortitudinis et constantiae obtinet ut Famil. 5, 2: huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem. ibid. 1, 9: Non. Decembr. tantum vel animi fuisse in illo ordine vel auctoritatis. 2 Catil. 9, 19: magnos animos esse in bonis viris.

C. Messius] cfr. Attic. 4, 1, 7. 4, 15, 9. In Erl. legitur 'cōn. Messius.'

legem separatam] ita optime cod. Erl. In Erf. Palatt. Dresd. Franc. primo invenitur 'speciatim' quod receperunt editt. R. Br. Med. Iunt. Ald. Garaton. Nobb. Recentiores vero fere omnes barbaram vocem perhorruerunt et ediderunt 'separatim.'

§. 22. *Q. Fabricius*] cfr. Milon. 14, 38: Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meo legem ferret pulso. Sest. 35, 75: venit tandem concilio de me agendi dies VIII. Kal. Febr. Princeps rogationis ... Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupavit ... impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt.

nostrum statum] sic omnes libri veteres quos inspexit Graevius et omnes editt. recentiores. In codd. Erl. Pith. Barb. duob. Oxonn. edit. 1472. invenitur 'vestrum statum.'

recuperassemus] in Erl. inveni 'recuperass.' in Oxonn. quinque Franc. prim. Dresd. Barb. edit. Venet. utraque legitur 'recuperassem' unde Garaton. coniecit fortasse scriptum fuisse 'veterem statum recuperassem.' „Es kann auch 'vestrum statum recuperassetis' heissen und diese Lesart hat viel für sich." Nägelsb.

quem ad salut.] in Erl. scriptum est 'si quem ad salut.' „Hactenus octo tribunos pl. enumeravit qui ipsius reditum adiuverunt: duo reliqui — Numer. Quinctius, Sex. Atil. Serranus — non consenserunt: non intercesserunt tamen quum et senatus et omnium magistratuum consensum viderent." Hotom.

Cap. IX.

L. Caecilius Rufus] frater uterinus P. Sullae. cfr. Q. Frat. 3, 3, 2. Sull. 22, 62. 23, 65. Iratus Q. Ciceroni, placatus a Marco a. u. c. 695. Q. Frat. 1, 2. 2, 6. praetor urban. a. u. c. 697. cfr. Milon. 14, 38: L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo. vide etiam Ascon. ad h. loc.

privatim] „quum de praetoribus brevissima sit oratio, quasi excusandi causa egregie praemittitur 'vos existimare potuistis.' Etenim huius loci sententia est: ut longa vobis oratione praetorum studia demonstrem non opus est, quoniam ex rebus gestis quo animo in me fuerint intelligere potuistis. Similiter 2 Agr. 1, 2: quare adhibebitur a me certa ratio moderatioque dicendi ut quid a vobis acceperim commemorem: qua re dignus vestro summo honore singularique iudicio sim, ipse modice dicam: si necesse erit, vos eosdem existimaturos putem qui iudicavistis." Recte haec contra Wolfium Savel.

suis copiis omnibus] sic cod. Erl. vulgo editur 'suis omnibus copiis.'

pro mea] sic cod. Erl. cfr. Sest. 2, 3: pro re publ. conquerendum fuit. Rara scriptura pro 'de,' dixit tamen etiam de orat. 2, 48, 198: pro re publ. queri." Halm. ad Sest. loc. cit.

cum collegis] 'cum' in Erl. deest.

paene omnibus] unus e collegio defuit App. Claudius Publii frater, de quo conferri potest Drumann. II pag. 185. vid. Sest. 40, 87: de praetoribus unus alienus. Pison. 15, 35: de me quum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei. Milon. 15, 39: septem praetores, octo tribuni pl. illius adversarii, defensores mei. Quir. 6, 15. Attic. 4, 1, 2.

bonorum meorum] codd. Erl. Erf. et editio Klotzii.

meorum bonorum] lectio vulgata. In codd. Erl. Erf. correcto, uno Oxon. scriptum est 'aut' pro 'autem.'

in ius adeundi] hac de re nihil certi historia nobis prodidit. Hoc ex Asconio scimus bona Ciceronis a Clodio vere fuisse publicata. Qua propter Heumann. Hotom. Weisk. suspicati sunt fuisse qui postularent a praetore ut ipsi in Ciceronis bonorum possessionem venirent. His igitur a praetore iudicium denegatum esse.

M. Calidius] clarus erat orator. cfr. Brut. 79, 274. Auctore Quintiliano (10, 1, 23) de domo Ciceronis dixit exercitationis causa, defendit M. Scaurum a. u. c. 700. adfuit Miloni sicut Ascon. narrat. Orell. Onomast.

§. 23. *omnia officia*] in laudandis praetoribus Caecilio et Calidio brevitati studet, quibus subicit Septimium, Valerium, Crassum, ceteros velut ignobile vulgus." Wolf. Rectissime vero Klotzius: „alle diese praetoren waren für Cicero gewesen, allein sie hatten sich weniger einzeln für ihn verwendet und so dankt er ihnen nur im Allgemeinen."

C. Septimius praetor a. u. c. 697. augur a. u. c. 709. cfr. 12 Attic. 13, 2. *Q. Valerius Orca* praetor a. u. c. 697. Ad eum missae Ciceronis sunt epistolae Famil. 13, 4. *ga.*

P. Crassi.] Sapienter interpretes tacent de hoc P. Crasso: ne ipse quidem Pighius ad annum 696. ei patrem et avum adscribit. Scilicet est manifestus error certissimumque *νοθείας* argumentum. Declamator enim quum explere veliet praetorum collegium, temere arripuit P. Licinii, Marci filii, Crassi nomen, quem carissimum fuisse Ciceroni sciebat, ignorabat autem eum anno 697. adolescentem fuisse necdum aetate praetoria." Orell. Onom. pag. 350.

S. Quinctilii.] „valde vereor ne eadem fraude hic e Caesaris Commentariis declamator arcessierit S. Quintilium Varum, quaestorem a. u. c. 705. eumque octo ante annis praetorem fuisse ultro finxerit sperans fore ut nemo umquam huiuscemodi praestigias detegeret." Orell. ibid.

constiterunt.] In Erl. inveni 'constituerunt' idemque librarius in Pison. 21, 48 scripsit 'constituisset' pro 'constitisset.'

alio transferenda] cfr. Balb. 1, 2: principio orationis hoc pono, me omnibus qui amici fuerint saluti meae et dignitati, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda et habenda certe satis esse facturum.

referam gratiam.] Solus Erl. 'gratias.' Perrarum esse pluralis numeri usum nemo ignorat. Invenitur tamen etiam 3 Phil. 15, 39: ut honores iis habeantur gratiaeque referantur: quem ad locum haec annotavit Garaton. (in editione Wernsdorfi) „non video qui minus liceat dicere 'gratiae referantur' quam 'honores habeantur.' Nam quem ad modum honos uni homini habetur, honores pluribus, ita uni gratia, pluribus gratiae referuntur." Reisigii de eadem re (§. 40. pag. 133.) haec sunt verba: „gratia ist Dankgefühl, gratiae zwar auch: aber eigentlich Dankworte. Daher steht bei agere nur der Plural, bei referre nur der Singular. Desshalb wollte Lambin. die citirte Stelle aus der 3. Philipp. corrigiren 'gratiaque referatur.'" Quibus Hasius addidit haec: gratias referre steht Valer. Max. 2, 6, 8. vielleicht richtig, weil für zweierlei Dinge gedankt werden soll. cfr. 5, 6 extr. Stat. Silv. 3, 1, 171: quas referam grates." „An unsrer Stelle hier ist gratias sicherlich nur aus Anlass der folgenden Plurale verschrieben." Nägelsb.

amicitias igne perspectas tuear] desunt haec verba omnia in codd. Barb. Oxonn. quinque. Primus ea recepit Graterus et commendantur praeterea chias-

mi figura qua 'timidi amici' respondent 'amicitiis perspectis': id quod bene monuit Wolf. Verum quae fuerint propria Ciceronis verba parum constat. Namque in codd. Erl. Erfurt. — in quo quidem haec verba margini adscripta sunt — Palat. nono legitur 'amicitias digne perspectas' unde editores ad unum omnes fecerunt 'amic. igne persp.' et conferri iubent libr. de offic. 2, 11, 38: maxime admirantur eum qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit hunc igni spectatum arbitrantur. In cod. Pith. scriptum est 'dignas perspectas,' in cod. S. Victor. 'segni perspectas' unde Guilielm. elicuit 'igni persp.' Wolfius hanc phrasin bonam esse censet, attamen non omnino bonam. 'spectatas' dicere debuerat. Verum cfr. exempla a Sav. allata haec: Cic. Lael. cap. 17: quidam in parva pecunia perspiciuntur. Pison. 1, 1: virtuti perspectae. Balb. 6: experta atque perspecta virtus. Verr. 2, 2, 2: cuius virtutem... perspexerunt. Attic. 11, 1: tua erga me perspectissima benevolentia. Famil. 3, 10: si me virum bonum in maxmis rebus perspectum habes. Famil. 1, 9: te perspicere meam in te pietatem — humanitas ac liberalitas et litteris et officiis perspecta.

bellum geram] verbis nimirum, non armis. cfr. Sull. 9, 28: quum mihi uni cum omnibus improbis aeternum videam bellum susceptum esse. 12 Famil. 22, 1: nos hic... cum collega nostro, Antonio, bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma verbis. Cic. frgmt. ap. Nobbe. vol. 10 pag. 378: qui quum hodie bellum cum mortuo gerant. Sest. 2, 4: neque iracundia magis ulla laudanda est quam mea inflammata eorum scelere qui cum omnibus meae salutis defensoribus bellum esse sibi gerendum iudicaverunt.

proditores non vindicem, dolorem profectionis meae reditus dignitate consoler] Hanc recepi scripturam quam tuentur codd. Palatt. quartus et octavus, Oxon. X. unus Hotomani. „Ita nisi corrigatur verborum difficultas sic tolli nequit ut primo non medium, medio non discrepet imum.“ Wolf.

proditores meos non indicem, dolorem... consoler] ita scriptum est in codd. Erfurt. Palatt. primo et nono, Dresd. Franc. primo, Barber. duob. Parisin. apud Lallemand. itemque in editt. anni 1472. Manutii, Graevii, Garatonii. „Sententia hac nihil pulcrius, nihil disertissimo Romuli nepotum dignius.“ Graev. Wolfius contra rectissime haec disputavit, at quum proditores sint in primis Piso et Gabinius, satis superque eos indicavit, nisi indicium ad magistratum intelligatur.“ Pronomen 'meos' deest in codd. Erl. et Oxonn. sex.

proditores non iudicem] sic codd. Erl. et Oxonn. C. T. Ψ.

proditoribus meis non indicem dolorem profectionis meae: defensores reditus dignitate consoler] ita codd. Pith. Palatt. secundus ac tertius atque editt. Venet. utraq. Gothofr. Bipont. Wolf. Weisk. Nobb. Klotz. Crus. Hanc scripturam ita defendit Ernestius: „proditores indicarat: et quia in toto loco de personis loquitur, et quidem ex utroque genere, etiam hic de personis esse debet oratio et e duplici genere, proditoribus et defensoribus.“ Sed quod ita dicitur de consolandis defensoribus, de non indicando dolore exsilii, quum is dolor his ipsis verbis indicetur, nugatorium merito vocabat Graevius cui accedunt Lallem. Garat. Optime haec contra Ernestium Wolfius. De permutatione verborum vindicandi et iudicandi cfr. Peyron. ad Milon. cap. 26. pag. 326. ed. Stuttg. coll. Ellendt. ad II. de orat. 70, 281. Vol. I. pag. 380.

§. 24. ***quod mihi si***] ita cod. Erl. Vulgo editur 'quod si mihi.' cfr. Haas. ad Reisig. §. 312. not. 372. pag. 368: „Kritz zu Sall. Catil. 2, 2. Jug. 14, 21. glaubt dass quod mit si zu Einem Wort verbunden werden müsse, wozu kein Grund vorhanden ist. Denn wenn man in quod auch nur die Bedeutung einer Conjunction finden will, so hat diese doch mit si, nisi kein solches Verhältniss, dass daraus ein compositum entstehen könnte.

esset aliud officium] sic cod. Erl. Lectio vulg. 'aliud esset officium.'

satis gratus] in Erl. inveni 'satis gratis.'

reliquae vitae] in codd. Erl. et Pith. scriptum est 'reliquum vitae.'

ad referendam] in Erl. scriptum legi 'ad ferendam.'

huic homini] „Latini etsi non adeo abiecte sentiunt de homine ut id nomen simpliciter cum contemptu ponant, tamen ubi aliquis ornandus est, non sine adiectione quadam hominem, sed potius virum dicunt.“ Hunc Wolfii errorem castigavit Weisk. his verbis: „honorifice et maxima cum significatione summae benevolentiae sic dici liquet ex orat. de imp. Pomp. 13, 39: hic miramur hunc

hominem tantum excellere ceteris. ibid. 16, 47: de huius autem hominis felicitate . . . ibid. 10, 28. Balb. §. 9: quid enim abest huic homini? (Cn. Pompeio) . . ." Sexcenta alia afferre possum exempla, sed non necessarium existimo, quum inter omnes constet Wolfium h. l. vehementer errasse.

ac liberis eius] „saepissime sic Cicero benevolentiam parentum captat commemoratione liberorum." Weisk.

memoria] memoria opus est ut et numerum beneficiorum et maxime tempus, locum, modum cuiusque beneficii accepti teneas, ut ne in remunerando sis retrictior.

Vis ingenii] pariter postulatur ad observandas beneficii rependendi opportunitates modosque excogitandos. Optime haec contra Wolfium monuit Weisk.

fidem dexteramque porrexit] cfr. Verr. 2, 5, 58, 153: cui civi supplici non illa dextera invicta (Cn. Pompeii) fidem porrexit? cfr. etiam Liv. 1, 58, 7: date dexteras fidemque haud impune adultero fore.

in me tanto amore] sic cod. Erl. Vulgo editur 'tanto amore in me.'

quid enim . . . mihi accidere potuit] cfr. Vatin. 3, 8: quid ergo praestantius mihi potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem gloriae . . . quam omnes hoc cives meos iudicare civitatis salutem cum unius mea salute esse coniunctam?

illo referente] sic codd. Erl. et Pith. „Hoc multo rectius, consules referunt, non petunt, senatores censent ac decernunt." Graev. „Firmat optimam hanc lectionem codex ille in quo se legisse Lambinus testatus erat 'illo suffragium ferente.' Ita enim lectio illa fuit ab interprete depravata." Garat. Quod vulgo editur 'illo petente,' interpretatur id Ernestius 'sic referente ut preces adhiberet.'

prope dissipatum] „haec translatio et emollitur particula 'prope' et minus dura per se videbitur, si bona Ciceronis fuisse dissipata reputaris." Sav. cfr. Attic. 4, 1: in re familiari quae quem ad modum fracta, dissipata, direpta sit non ignoras, valde laboramus.

restituendum venirent] sic codd. Erl. et Pith. Vulgo adduntur verba 'et defendendum' quibus facile caremus. cfr. de Dom. 28, 73: senatus decrevit ut omnes qui rem publ. salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent.

ut qua voce] in Erl. inveni 'et qua voce.'

ter omnino post Rom. condit.] Ingeniosa haec Barnab. Brissonii (Faerni) et Adr. Turnebi (Advers. lib. XXV. cap. 25.) emendatio optimi cuiusque codicis Erl. Erfurt. Pith. Palat. noni — ut omittam ceteros — auctoritate postea est comprobata. Quam ob rem damnanda primum videtur sententia Manutii locum sic emendantis 'qua voce antea semel.' Deinde haud ita difficile est qui fuerint tres isti consules reperire. Duos enim iam Wolfius recte enumeravit, quibus quamvis reclamante illo sine ulla dubitatione adicimus Valerium Publicolam (Liv. 3, 17.) „Ohne Grund findet Wolf hier einen historischen Verstoss indem er die Beziehung auf Valer. Public., die ganz hieher passt, läugnen will." Osiander. Minus profecto probabilis videtur Fulvii Ursini coniectura qua C. Marium numerandum esse tertium coniecit ex verbis quae legimus in orat. ad Quirit. 3, 7: nam C. Marii qui post illos veteres clarissimos consulares vestra patrumque memoria tertius ante me consularis subiit indignissimam fortunam . . .

usus esset] in codd. Erl. Pith. invenitur 'visus esset.'

senatus omnes ex omnibus] sic codd. Erl. et Pith.

senatus omnibus] lectio vulgata.

totamque Italiam] cfr. Sest. 60, 128: in una mea causa post Romam conditam factum est ut litteris consularibus ex senatus consulto cuncta ex Italia omnes qui rem publ. salvam vellent convocarentur. „Die Comitien wurden von dem Landvolk um die Zeit der Erndte und gewiss auch von den entfernteren Italikern schlecht besucht. Desshalb liess der Senat um die Zurückberufung Cicero's durchzusetzen, die Italiker durch eigene Consularschreiben einladen." Walter Gesch. des Roem. Rechts. 2. Auflg. 1845. Erster Theil. pag. 135.

Cap. X.

§. 25. *hoc senatum*] in Erl. scriptum est 'hunc senatum.'

ut dedecus ac flagitium] hanc scripturam confirmatam auctoritate optimi cuiusque codicis — Erl. Pith. Palat. non. — receperunt recentiores fere omnes. Wolfius autem et Weisk. ex correctione eam ortam esse suspicati ex deterioribus codd. ediderunt 'ut omne is flagitium.'

si qui] codd. Erl. Erfurt. Barb. Oxonn. quatuor. editt. Beckii, Klotzii. Lectio vulgata 'si quis.'

Italia ipsa] in codd. Erl. Oxon. H. legitur 'Italiam ipsam.' cfr. Pison. 15, 34: mei capitis servandi causa Romam uno tempore quasi signo dato Italia tota convenit. Milon. 14, 38: totius Italiae concursus quem mea salus concitarat.

frequentissimos] hoc cur dixerit orator ac non potius 'frequentes' quaesivit Wolfius. Respondit ei optime Weiskius his verbis: „ad honestandam Tullii calamitatem pertinet id quod postquam maxima civium multitudo Romam venerat, consul etiam senatum frequentissimum convocavit, non usus scilicet tralaticia formula 'ut senatus frequens adesset': quod si simpliciter edixisset plures iustae excusationis specie non venissent, sed significans de qua re esset relaturus aliave ratione efficiens ut quam plurimi adessent." „frequentissimus ist recht wohl proleptisch." Nägelsb.

in Capitolium convocavit] in templum Jovis Optimi Maximi in Capitolio positum in quod ut omnium templorum sanctissimum de rebus gravissimis ut de bello acturus solebat senatus convenire.

et vera nobilitas] sic codd. Erl. Erf. editt. Nobb. Klotz.

aut vera nobilitas] lectio vulgata. Q. Metellus Nepos collega fuerat P. Lentuli Spintheris consulis.

inimicus et frater] codd. Erl. Pith. Dresd. Oxon. C. Vulgo editur 'et inimicus et frater.' frater scil. consobrinus, P. enim Clodius Caeciliae filius erat, quae huius Metelli amita fuerat. Eadem autem significatione hoc vocabulum fratris invenitur etiam locis his: de Dom. 3, 7. 5, 13. 27, 70. 33, 87. Har. Resp 21, 45. Marcell. 11, 34. Exemplis hunc vocabuli usum firmandum duxi ob ea quae annotavit Wolf ad orat. pro Marcell. 4, 10.

privata odia deposuit.] quam magni Cicero hanc Metelli reconciliationem fecerit apparet inde quod permultis eam locis commemoravit. cfr. in primis orat. de prov. consul. 8, 19 — 9, 22. ubi praeclara quaedam illustrissimorum virorum attulit exempla inimicitias ex rei publ. dissensione susceptas rei publ. temporibus permittentium. de Dom. 3, 7. Sest. 33, 72. 60, 130. Pison. 15, 35. Attic. 3, 24, 2. Attici quoque in ea reconciliatione partes fuisse videntur. Attic. 3, 22, 2.

P. Servilius Vatia Isauricus] commemoratur etiam Quir. 7, 17. prov. cons. 1, 1. Verr. 2, 4, 10, 22. 2, 5, 26, 66. Sest. 62, 130. de Dom. 47, 123.

vir quum clarissimus] in Erl. inveni 'quum vir clarissimus.' Erat enim consularis et censorius et de Isauris quos in Cilicia domuit triumphaverat.

communisque sanguinis] nam Isauricus Q. Metelli Macedonici nepos erat ex filia quod intelligitur ex orat. de Dom. 47, 123., ubi Cicero eum alloquens Macedonicum eius proavum appellat. Hotom.

factis virtutesque revocavit.] cfr. Sest. 62, 130: Q. Metellus excitatus quum summa auctoritate P. Servilii, tum incredibili quadam gravitate dicendi, quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos et ad illius generis quod sibi cum eo commune esset, dignitatem propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexisset quumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum vel gloriosum vel gravem convertisset: collacrimavit vir egregius ac vere Metellus totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit nec illam divinam gravitatem plenam antiquitatis diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam. Quem ad locum verissime Drumann. V. p. 679 haec annotavit: „die Thränen waren bald getrocknet und nicht die Rede des Servilius, sondern die Rücksicht auf Pompeius, der jetzt Cicero's Rückkehr wollte, bestimmte ihn, seinen Hass für den Augenblick zu beschwichtigen."

et fratrem] Q. Caecilius Metellus Celer praetor fuerat Cicerone consule eumque in opprimenda coniuratione Catilinaria adiuverat. Quapropter etiam in Sest. 62, 131: vocatur a Cicerone socius laborum, periculorum, consiliorum suorum. Decesserat autem proximo triennio infami etiam morte de veneficio quod ei paratum vel apud Clodium fratrem vel apud uxorem Clodiam videbatur. Scholiou. cfr. etiam Drumann. II. pag. 28.

ab inferis] induxit enim viventes Metellumque hortantes ad res praeclaras Metellos omnes qui iam obierant. *Προσωποποιΐα* dicitur oratoribus ad animos audientium commovendos familiaris. Manut. ad Sest. 62, 130. „Appellat hanc

figuram Cicero de orat. 3, 205. personarum fictam inductionem. cfr. orat. 25, 85. ibique Goeller." Halm.

socium rerum mearum] cfr. Sest. 62, 131. Officium inter eos ita dispertitum fuisse legimus ut Metellus Italiam ab armis et docalia coniuratione, Cicero urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere defenderet. Manut. Drumann. II. pag. 218.

ex Acheronte] sic cod. Erl. et lect. vulg. E cod. Erf. edidit Klotzius 'ex Acherunte.' Vehementer vero errasse mihi videntur et Wolf. quod hunc locum vituperavit et Savels. qui verba 'ab inferis' prorsus supervacanea ratus non dubitavit eicere. Variandae enim orationis causa sic scripsisse Tullium facile videbunt quicumque praeiudicata carent opinione. Namque vocabula 'ab inferis' quum priori statim membro — et fratrem — adiecisset, neque potuit eadem ad posterius etiam membrum — et omnes Metellos — referre neque nude ponere 'excitatos.' Poterat utique sententiam hunc in modum conformare: 'ut haberet in consilio et fratrem, socium rerum mearum, et omnes Metellos, praestantissimos cives ab inferis excitatos.' Quod si fecisset, careret oratio vocabulis 'paene ab Acheronte' et verba illa 'ab inferis' ad fratrem aeque pertinerent atque ad omnes Metellos. Tamen cur noluerit sic scribere facile est ad intelligendum. Ita enim prioris membri verba — et fratrem — nimis longo intervallo diremisset ab apposito iis participio 'excitatos.' Animadvertendum deinde quod mitigandae locutionis causa orator addidit 'paene' id quod Wolfius nihil curasse videtur. Cfr. etiam Corn. Nep. vit. Dion. 10, 3: sic subito misericordia odio successerat ut eum suo sanguine ab Acherunte, si possent, cuperent redimere.

Numidicum illum] solet Cicero quum de Metello Numidico mentionem facit, eum pronomine 'ille' insignire utpote Metellorum omnium praestantissimum. Manut. cfr. Arch. 3, 6. Sest. 62, 130.

Metellum] hoc nomen quod codd. Erl. Erf. Barb. Oxonn. quattuor itemque librorum ante Manut. et Naug. editorum auctoritate satis defenditur, delerunt Manut. et Lambin. quibus recentiores paruerunt omnes. Cur vero necesse sit deleri equidem non video.

molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem] sic codd. Erl. Erf. correct. Pith. Palatin. nonus quorum auctoritati editores inde a Graevio paruerunt fere omnes. Damnavit tamen hanc scripturam Wolf. transpositis autem verbis edidit Weisk. 'luctuosus omnibus, ipsi ne molestus quidem.' Savels. denique coniecit 'honestus, omnibus luctuosus tandem.' Omnibus scil. Metellis. Bonos omnes intelligunt Manut. et Olivet. qui dederunt 'honestus ipsi, bonis omnibus tamen luctuosus.' item Lambin. 'bonis omnibus luctuosus tandem.' Lallemandus suo tempore dicit fuisse vulgatam 'honestus ipsi, omnibus luctuosus tandem.'

est visus] sic codd. Erl. Pith. Palat. non. et editt. Beckii, Nobbii.

visus est] e cod. Erf. ediderunt Garat. Wolf. Weisk. Klotz.

§. 26. *itaque extitit*] codd. Erl. Palat. non. Lambin. Erfurt. correct. et editt. Graev. Oliv. Lall. Oxonn. Wolf. Weisk. Klotz.

itaque dimittitur] sic editio princeps cui paruerunt Gruter, Ernest. Nobb.

defensor is qui] in Erl. inveni 'defensor his qui.' Vulgo editur 'defensor qui.'

suum beneficium] codd. Erl. Erfurt. correct. et editt. Graev. Garaton. Weisk.

unum beneficium] ita ediderunt Wolf. Beck. Nobb. Klotz.

itaque exstitit non modo salutis defensor] Hoc loco Klotzius protulit haec: „Aehnlich drückt sich Cicero §. 9. oben über den Metellus aus und es konnte in der That bloss reiner Unverstand diese Wendungen anfechten. Bekanntlich hiess der, welcher ein Gesetz unterstützte, auctor in so fern er als Gewährsmann für dasselbe eintrat, wenn er es empfahl. Allein öfters ging man noch weiter und gab zu einem Gesetze, das man unterstützen wollte, sogleich bei dessen Promulgation seine Unterschrift her. Dadurch ward man ein adscriptor legis, so wie ein Unterfertiger einer Anklageschrift in gleichem Fall subscriptor ward. So de leg. agrar. 2, 9, 22. Da nun aber Cicero durch ein Centuriatgesetz in's Vaterland zurückberufen wurde — Attic. 4, 14 — so war es ganz natürlich, dass er den Metellus, der seine Zurückberufung als College des Lentulus mitbefördert hatte, einen adscriptor dignitatis suae nannte, weil ja jene dignitas eben nur auf

jenem Gesetze beruhte und durch dasselbe wieder verliehen worden war. Wie kann man hier an dem Ausdruck mäkeln wollen?"

quum vos CCCCXVII essetis] cod. Erl. et editio Naug.

quum vos CCCCXVII ex senatu essetis] ita cum Gruter. ediderunt Garat. Ernest. Oliv. Lall. Weisk. Nobb.

quum vos CCCCXVII senatores essetis] edid. Wolf. Klotz. Quia vero utrumque 'ex senatu' et 'senatores' deest in codd. Erl. Pith. Dresd. neutrum genuinum esse censent Hotom. Heum. Garat.

magistratus autem adessent] codd. Erl. et Pith.

magistratus autem hi omnes adessent] e codd. Erf. Palat. nono, Franc. primo ediderunt Garat. Gruter. Nobb. Beck. Klotz.

magistratusque omnes adessent] cod. Oxon. H. editt. Venet. secund. Heumanni, Wolf. Weisk.

dissensit unus is qui] P. Clodium hic significari recte viderunt interprett. Drumann. Klotz. Manut. Perperam alii Atilium intelligunt. vid. Drumann. II. pag. 295. cfr. Sest. 61, 129: cuius sententiam ita frequentissimus senatus secutus est ut unus dissentiret hostis ... 62, 130: atque ita in his rebus unus est solus inventus qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret. de Dom. 6, 14. Har. Resp. 7, 14.

atque illo die quum] cod. Erl. et editt. Weisk. Nobb. Klotz.

atque illo die quo] Garat. Beck. Wolf. Recte Garatonius monuit 'quo' depravatum esse ex 'quom' = quum.

quum ... iudicassetis] cfr. Quir. 6, 15: eodemque P. Lentulo auctore et pariter referente collega frequentissimus senatus ... dignitatem meam quibus potuit verbis amplissimis ornavit ...

ut eadem ... dicerentur] cfr. Pison. 15, 34: de mea salute P. Lentuli ... Cn. Pompeii ... ceterorumque principum civitatis celeberrimae et gravissimae contiones fuerunt. cfr. etiam Sest. 50, 107. 108. Ceterum audienda sunt Drumanni Wolfium castigantis verba haec: „Wolf tadelt den declamator dass er Cicero den Römern erzählen lasse was in seiner Abwesenheit geschehen und ihnen folglich genauer bekannt war als ihm selbst: er erzählt es pro Sest. viel ausführlicher. Ja dieser Rede soll die unächte sogar nachgebildet sein: so sehr dreht sich die Kritik im Kreise und verkennt Cicero's Art!" Drumann. II. pag. 296. not. 42.

meam causam] sic codd. Erl. Erfurt. editt. Klotzii. vulgo editur 'causam meam.'

vocem acerbam] „nam populus si quid ab eo qui contionem habebat dictum esset quod improbaret, admurmurare solebat: quod accidit Ciceroni dum pro C. Rabirio, perduellionis reo, ad populum orationem quae exstat haberet." Hotom.

Cap. XI.

§. 27. *sed ornamenta*] codd. Erl. Lectio vulg. 'sed etiam ornamenta.'

vos idem] cod. Erl. duabus vocalibus in unam contractis. Perperam edidit Weisk. 'vos iisdem.'

decrevistis] cfr. Pison. 15, 35: de me senatus ita decrevit ... ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.

ne quis] cod. Erl. et lect. vulgata. E cod. Erfurt. Klotz. edid. 'ne qui.' Quae post 'impediret' in editionibus sequuntur verba, ea in cod. Erl. plane desunt et recte quidem, ut opinor, quum facile possint cogitatione suppleri. Parum firmata esse haec verba ipsa declarat lectionis varietas: Weisk. edidit 'qui impedisset.' Klotz. 'qui [id] impedisset.' Vulgo editur 'qui id impedisset.' Ceterum verissime Ernestius rem moleste ferri monuit, non hominem.

vos graviter] codd. Erl. Erfurt. editt. Weisk. Klotz. pronomen 'vos' quod vulgo omittitur necessarium esse bene vidit Wolfius. cfr. Sest. 61, 129: est postridie decretum in curia populi ipsius rom. et eorum qui e municipiis convenerant admonitu: ne quis de caelo servaret, ne quis moram ullam afferret: si quis aliter fecisset, eum plane eversorem rei publ. fore idque senatum gravissime laturum et ut statim de eius facto referretur.

concordiamque civium] „De temperamento scriptoris accusatori sine modo et causa criminanti taedet me respondere. Quamquam concordiam civium quanti

fecerit Tullius ostendunt loci hi: Sest. 33, 71: pertinere (Sestius) ad concordiam civium putavit... 40, 87: simplex causa... plena concordiae... 49, 104: quod plebes perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis otium amplexatur." Savels.

si diutius calumniarentur] id est si malitiose moras necterent. Hotom. Schützius in indice Latin. Cic. calumniari idem esse vult quod tempus fictis causis ducere. cfr. Sest. 35, 75: quum omni mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur. Attic. 4, 3, 3: Metellus calumnia dicendi tempus exemit. Quint. 21, 67: iacet res in controversiis isto calumniante biennium.

gratiae qui] Ernest. Beck. Klotz, quibus, ut Wolfio ipso, talis ellipsis dativi minime visa est Ciceroniana, addiderunt pronomen 'iis' quod in nullo omnino invenitur codice. Recte tamen abesse pronomen disces ex Nägelsbachii libro de serm. lat. §. 90. 3 *a* pag. 244. Locis ibi citatis adde hos: Philipp. 5, 7: dividebat agros quibus volebat. Offic. 1, 11, 37: negat enim ius esse qui miles non sit pugnare cum hoste. De re cfr. Sest. 62, 129: decrevit eodem tempore senatus ut iis qui ex tota Italia salutis meae causa convenerant, agerentur gratiae atque ut eidem ad res redeuntes ut venirent rogarentur. ibid. §. 128.

res quum redissent] Recepi scripturam Garatonii, Beckii, Wolfii, Nobbii. In Erl. scriptum est 'res quum venissent.' „Certa pars anni observabatur qua nihil in urbe gereretur quod ad res iudiciales et negotiorum sollemnia pertineret. Tunc igitur prolatio rerum fieri dicebatur: quo tempore exacto rerum actus redibat, i. e. agi omnia secundum civilem consuetudinem et exerceri incipiebant. Dicit ergo suae dignitatis causa et hoc esse decretum ut instaurata rerum actione [quae non antea instaurari poterat quam promulgata lege legitimus trinundini dies praeterisset, neque enim de alia rerum prolatione hic cogitandum est.] Romam convenirent qui decretum de sua restitutione firmarent." „Schol. ad Sest. 62, 129. Res redire dicebantur quum feriis aut quacumque alia mora interposita tempus rerum in foro et comitiis agendarum redibat." Garat. Lambin. comparavit Plaut. Capt. 1, 1, 17: prolatis rebus parasiti venatici sumus: quando res redierunt, molossici.

res quum redisset] Klotz. Weisk.

quum res redisset] Ernesti.

ille dies quem] codd. Erl. Erf. Palat. non. Pith. Parisin. duo Lall. et editt. Graev. Garat. Beck. Weisk. „Ille dies est nominativus absolutus sive per ἀνακόλουθον quoddam positus cui aliquid cogitatione addendum est, quod suppeditatur a sensu totius loci, velut: magnum, insigne, honorificum habuit?" Weisk.

illo die] lectio vulgata.

natalem constituit] cfr. Attic. 3, 20, 1: diem natalem reditus mei cura ut in tuis aedibus amoenissimis agam tecum et cum meis. „Natalem appellat quia eo die a morte ad vitam revocatus est." Hotom. Sicuti qui in exsilio erant dicebantur mortui et exsilium vocabant exsequias, ut Ovid. Trist. 3, 3:

Cum patriam amisi, tunc me periisse putato,
Et prior et gravior mors fuit illa mihi.

sic nasci et renasci dicebantur quum restituerentur. Cicero ad Attic. 6, 6, 4 restitutionem suam vocat παλιγγενεσίαν. Idem ad Att. 4, 1, 7: alterius vitae quoddam initium ordimur. J. Fr. Gronov. Diatr. ad Stat. cap. 12.

ad sempiterni memoriam temporis] cfr. Vatin. 3, 8: in memoriam mei nominis sempiternam. Sest. 61, 129: ad memoriam posteri temporis sempiternam. de Dom. 22, 87: ad sempiternam memoriam temporis.

comitiis centuriatis] „Comitia centuriata extra pomoerium in campo Martio a populo per classium centurias diviso sic habebantur ut et centuriatim suffragia colligerentur et, quod plures centuriae iussissent, id ratum haberetur." Hotom. Per leges autem sacratas et XII. tabulas de capite civis romani rogari non licebat nisi comitiis centuriatis.

maxime iusta] i. e. summa et maxima. Erant enim et populi universi et a maioribus tantum magistratibus et maximis auspiciis habebantur. Quapropter haec comitia saepius vocantur comitiatus maximus. Leg. 3, 4, 11. 3, 19, 44. Justa vero dicuntur etiam de Divinat. 1, 45, 103: praerogativam maiores omen iustorum comitiorum esse voluerunt. Quibus contraria sunt comitia leviora (Cic. pro Planc. 3, 7.) sive tributa quibus minores tantum magistratus creabantur. Haec

omnia ex ipsis Tullii scriptis conquisivi, Reinii de comit. rom. iudiciis — Isenaci 1844 — dissertationesduas et Mommsenii de tribub. rom. libellum inspicere mihi non licuit.

arcessivit in patriam] cfr. Pison. 15, 35: de me legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus. de Dom. 27, 70: P. Lentule . . . ex Kal. Ian. quoad perfecta res esset de me retulisti, promulgasti, tulisti. Sest. 50, 107. Famil. 1, 9, 4.

quacumque aut aetate aut valetudine esset] cfr. Pison. 15, 36: Ex vobis audio nemini civi ullam quo minus adesset satis iustam excusationem esse visam . . . Sest. 52, 112: quum de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec valetudinis excusationem nec senectutis satis iustam putavit . . . Leg. 3, 11, 25: quis enim non modo liber, sed etiam servus libertate dignus fuit cui nostra salus cara non esset?

non se de salute] pronomen 'se' quod in Erl. excidit addidi.

quando . . . vidistis] cfr. Pison. 15, 36: nullis comitiis umquam neque multitudinem hominum tantam neque splendidiorem fuisse: hoc certe video quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum. Attic. 4, 1, 4: Ante diem VI. Id. Sext. cognovi, quum Brundisii essem, litteris Q. fratris mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae legem comitiis centuriatis esse perlatam. de Dom. 28, 75: constat enim nullis umquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse . . . de Dom. 33, 90: quum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque aetatum omnium suffragium se non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant: quum denique homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venerunt.

diribitores] in codd. Erl. et Pith. legitur 'direptores' quod in Erfurt. quoque superscriptum est. Rogatores instituti sunt olim in comitiis quo tempore suffragia non tabella, sed voce ferebantur, qui centurias singulas suum suffragium rogarent: postea latis legibus tabellariis retenti sunt ut cistam per centurias ferrent, in quam suffragii tabulas populus coniceret. Hotom.

ita ut non nulli] sic codd. Erl. et Pith. Lect. vulg. 'sicut non nulli.'

sed . . . reportati] Marklandi et Wolfii calumnias bene refutavit Klotzius his verbis: „die für Cicero so ehrenvolle Uebereinstimmung in den Centuriatcomitien, als über seine Restitution abgestimmt wurde, hält derselbe dem glänzendsten Triumph (dem höchsten Glanzpunct den ein Römer sich vor Augen stellen konnte) gleich wenn er sagt: ich ward nicht — zurückgeführt, sondern zurückgetragen von stattlichen (insignis ist eigentlich noch mehr: es bedeutet den der durch ein bestimmtes Merkmal [hier natürlich durch den Triumphprunk] sich von Andern unterscheidet und konnte auch ohne nähere Angabe stehen wie Liv. 1, 20: insigni eum veste et curuli regia sella adornavit) Rossen und auf goldenem Wagen. Wer konnte an einem solchen Satz Anstoss nehmen?“ Ceterum de reditu Ciceronis confer quae exposuit in Pison. 22, 51. 52.

§. 29. *possum ego*] „abrupte transitur ad Pompeium.“ Wolf. „Transitio ad Pomp. praemunita est §. 24. ubi Tullius de principibus atque auctoribus suae salutis se locuturum et illis in primis gratias acturum esse praedicavit.“ Sav.

gratus videri qui] in Erl. scriptus est 'gratus qui videri qui.'

apud universum populum romanum salutem rei publ.] recepi scripturam vulgatam cum Ernest. Nobb. Beck. Klotz. In Erl. inveni 'universam p. r. salutem populi r.' In Pith. legitur 'sed etiam universam salutem P. R. et conservatam.'

apud universum populum romanum salutem populi romani] sic edidit Wolfius nescio unde. E codd. Erfurt. Barb. duob. Lallemandi et editt. amb. Venet. ediderunt Graev. Lallem. Garat. Weisk. hunc in modum 'apud universum populum populi romani salutem.'

cum mea dixerit.] In cod. Erl. inveni 'cum me addixerit' quod etiam in Erfurt. superscriptum est.

imperitos . . . improbos . . .] cfr. 1 Catil. 12, 30: quorum auctoritatem secuti multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent.

auctoritate sua] cfr. Sest. 31, 67: Cn. Pompeius . . . accessit ad causam publicam, restitit auctoritate sua reliquis rebus . . . „Non dixit potestate, quia privatus erat. Est enim magistratus potestas, privati hominis auctoritas. cfr. Sest. 32, 70: P. Lentulus auctoritate et sententia sua causam suscepit: quia nondum consulatum

inierat Lentulus, sed designatus erat." Manut. cfr. in primis Pison. 4, 8: ille designatus consul ... id quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate.

verum etiam obsecrarit] de his Pompeii laudibus cfr. Pison. 32, 80: me Cn. Pompeius omnibus suis studiis, laboribus, vitae periculis complexus est ... quum P. Lentulo consuli, auctori salutis meae, frequens assideret, senatui sententiam praestaret, in contionibus non modo se defensorem salutis meae, sed etiam supplicem pro me profiteretur. Sest. 50, 107: habuit de eodem me P. Lentulus consul contionem, productus est ab eo Cn. Pompeius qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo rom. praebuit. Har. Resp. 22, 46: ecce iisdem auctoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, flagitantes vos, populum roman. desiderantem non auctoritate sua solum, sed etiam precibus ad meam salutem excitavit, restituti sumus. Quir. 7, 16: denique ipse (Cn. Pompeius) ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. de Dom. §. 30: libentissime praedicabo Cn. Pompeium studio et auctoritate aeque atque unum quemque vestrum, opibus, contentione, precibus, periculis denique praecipue pro salute mea laborasse. Hic tuis, P. Lentule, quum tu nihil aliud dies et noctes nisi de salute mea cogitares, consiliis omnibus interfuit, hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia coloniasque adiit: hic Italiae totius auxilium cupientis imploravit, hic in senatu princeps sententiae fuit, idemque quum dixisset, tum etiam pro salute mea populum romanum obsecravit.

qui quum ipse] sic cod. Erl. Lectio vulgata 'qui ipse quum.'

metum dimicationis] de insidiis Pompeio positis vide quae supra ad §. 4. annotavimus.

de salute mea promulgarent] sic cod. Erl. vulgo editur 'de salute mea et promulgarent.' promulgarent ad populum, referrent ad senatum.

in colonia nuper constituta] coloniae Capuam deductae a Caesare in primo consulatu praefecti erant L. Piso socer et Cn. Pompeius gener.

emptus intercessor] quales Romae fuerunt Sex. Atilius Regulus Serranus, Numer. Quintius, Aelius Staienus Ligus.

consignarit ... elaborarit ... putarit] ita edidit Ernest. cum aliis eum sequentibus auctoritate etiam codicis Guelferbyt. praeeunte Lambino, probante etiam Heumanno, quum e codd. Erl. Erf. Lall. Oxonn. vulgo edatur 'consignavit .. elaboravit ... putavit.' „Nam idem ubique esse modus debet et in tota serie est coniunctivus." Beck.

privilegii] cfr. de Dom. 17, 43: vetant leges sacratae, vetant XII tabulae leges privis hominibus irrogari, id est enim privilegium. Leg. 3, 19, 44.

consignarit] Hotomano et Wolfio obscura et rara haec formula visa est: audiamus tamen Klotzii verba: „Dass durch das Decret des Pompeius das von Clodius gegen Cicero gerichtete Gesetz für ein privilegium erklärt und als solches als gewaltthätig und grausam bezeichnet wurde, kann nicht befremden. Denn wer die Kraft ienes Gesetzes brechen wollte, musste es ja ohnehin als verfassungswidrig hinstellen. Was das consignare publicis litteris betrifft, so wurden bekanntlich dergleichen Beschlüsse in die öffentlichen Verhandlungen eingetragen und so konnte Cicero wohl sagen qui vim ... wie er an hundert andern Stellen dergleichen Wendungen hat." cfr. Deiotar. 13, 37: senatus vero indicia de illo tam multa tamque honorifica quae publicis populi romani litteris monumentisque consignata sunt. Leg. 3, 20, 46: publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. De re autem ipsa vide Milon. 15, 39: Cn. Pompeius quum decretum de me Capuae fecit ipse cunctae Italiae cupienti et eius fidem imploranti signum dedit ut ad me restituendum Romam concurrerent. Pison. 11, 25: me (Campani) et praesentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisque defenderunt et absentem Pompeio referente ... revocarunt.

Italiae totius praesidium] cfr. de Dom. 12, 30: hic Italiae totius auxilium cupientis imploravit. prov. consul. 18, 43: qui Italiam in municipiis ... ad meam salutem excitavit.

amicos mihi] sic codex Erl. Vulgata lectio 'mihi amicos.' Ceterum de uno potissimum Iulio Caesare dictum hoc esse videtur de quo cfr. prov. consul. 18, 43: illius (Caesaris a mea salute non abhorrentis) voluntatis generum eius habeo

testem . . . Cn. Pompeius idem mihi testis de voluntate Caesaris et sponsor est illi de mea.

Cap. XII.

§. 30. T. Annii. „Ratio cur iterum de Annio suo et Sestio loquatur, in eo quaerenda est quod illi duobus nominibus, ut tribuni plebis et tamquam principes atque auctores restitutionis, de eo meriti erant. Quum enim primum magistratibus omnibus praeter inimicos gratias universim agere sibi proposuisset, deinde singulis viris qui prae ceteris de se ipso et de re publica bene meriti essent, neutro loco Milonem et Sestium, studiosissimos suae salutis defensores, praeterire poterat.“ Savels.

remunerabor] sic cod. Erl. et editt. Ernest. Nobb. Gothofred.

remunerabo] haec scriptura in pluribis codicibus et editt. invenitur. Ceterum praeclaram Tullius paucis post annis nactus est occasionem remunerandorum Milonis beneficiorum, qua de re cfr. Milon. 36, 100. nunc me una consolatio sustentat quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit et quae subsequuntur.

actio, ratio, cogitatio] vocabulum 'actio' abest in codd. Erl. Barb. Oxonn. quinque itemque in editt. Venet. utraque et Naug. sed. cum editoribus omnibus addidi, quod recte abesse non potest: refellunt enim attributa totidem singulis his nominibus adiecta.

fortis, invicta] in Erl. inveni 'invicta fortis', sed transposui.

defensio salutis meae] De tribunatu Anniano cfr. quae satis copiose atque ornate disputavit Tullius in Sest. capp. 40. 41. Similem autem in modum laudavit et Sestium cfr. Sest. 6, 14: tribunatus totus P. Sestii nihil aliud nisi meum nomen causamque sustinuit. 13, 31: P. Sestius . . . quum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumpserit. ibid. 58, 124: P. Sestius . . quum ageret nihil aliud in eo magistratu nisi meam causam . . .

corporis vulneribus] de Sestio vulneribus confecto vid. Sest. 37, 79.

et egi et agam gratias] quae Wolfius h. l. de gratiis non actis loquitur prorsus inania sunt.

universis egi] recte Klotzius: „Diess war zu Anfang seiner Rede geschehen. Den Einzelnen konnte und wollte er in dieser Rede seinen Dank nicht ausdrücken, sondern hatte sie schon privatim darum begrüsst oder sich diess zu thun vorbehalten.“ Praeter Wolfium nemo non statim intelliget oratorem singulis senatoribus et egisse et acturum fuisse gratias non hac oratione, in qua nihil ea de re legimus, sed familiari sermone vel litteris. In eorum numero quibus per litteras ante reditum gratias egit Q. Metellus est ad quem dedit epistolam Famil. 5, 4. cfr. ibid. 14, 1. In ipso etiam adventu permultis senatoribus gratias ab eo actas esse liquet ex epistol. ad Attic. 4, 1. Ornatus autem orationis non solum in verbis est, sed etiam in rebus et sententiis: quam ob rem saepissime coniungitur cum gravitate.“ Sav.

singulis . . .] „Die Worte sind so verständlich dass man sich zwingen muss sie nicht zu verstehen.“ Klotz.

ab initio] codd. Erl. Erf. Palat. non. editt. Gruter. Garat. Weisk. Nobb.

initio] ediderunt Wolf. Beck. Klotz. in codd. duob. Oxonn. et Barb. legitur 'in initio.' Utraque praepositio glossatori debetur. Beck.

c

nefas] in cod. Erl. inveni 'nec fas' in Erfurt. 'nefas.' Correxi quia multo aptius est h. l. asyndeton. Ad rem confr. Planc. 30, 74: etiam illa testis est oratio quae est a me prima habita in senatu: in qua quum perpaucis egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri, statuissemque eos solum nominare qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent, in his Plancio gratias egi.

deorum numero colere] „a quibus enim summa in hominum genus beneficia promanarant, eos antiqui in deorum numerum reponebant.“ Hotom. cfr. Sest. 68, 143: imitemur nostros Brutos, Camillos . . . quos equidem in deorum immort. coetu ac numero repono.

divinitus meritis] Nonne voluit dicere 'divine meritis'? Certe debuit.“

Markl. Ignoravit igitur Britannus eam huius adverbii significationem qua — apud Tullium praesertim — idem valere quod divine, praeclare, egregie optimo iure recentiores grammatici ac lexicographi contendunt.

§. 31. *statui*] in codd. Erl. Oxon. C. mendose scriptum est 'statim.'

meam dignitatem] sic cod. Erl. Vulgo editur 'dignitatem meam.' Erravit Wolfius qui id se conciliare posse negavit quod hoc loco dicat senatum Pompeii sententiam secutum esse, antea dixerat senatores omnes idem sensisse. Recte igitur Weiskius: „eius exemplum secuti omnes idem sentiebant: deinde etiam sententiis dicendis idem quod ille decreverant.“ Verum hoc esse apparet ex Sestian. 34, 74.

nostra memoria senatores ... solebant] hunc locum a Marklando vehementer vituperatum male a Gesnero defensum arbitratur Wolfius. Gesneri vero sententiam secutus Osiander haec protulit: „Wenn der Nachdruck auf solebant gelegt wird, lässt sich die Stelle retten.“ Optime Nägelsbachius: „Es ist: nostra memoria fuere senatores qui mutare vestem non solerent: Wolfius fraudulenter loquitur de senatorio ordine.“

meum periculum] sic cod. Erl. Lect. vulgat. 'mea pericula.'

periculis ... periculo ... periculum] in eadem periodo ter positum tam brevi intervallo vocabulum sine causa offensioni fuisse Heumanno probat Savels. allatis locis his: Rosc. Amer. 26, 72 — ubi substantiv. maleficium invenitur ter positum 28, 76: ter homo. 2 Catil. 8, 17 ter hostis.

deprecatione] in cod. Erl. inveni 'precatione.'

praesidio nudarunt] eadem etiam locutio invenitur in orat. de Dom. 1, 2.

§. 32. Inter §. 32. et §. 33. non pauca exciderunt quae oratori occasionem sui defendendi §. 33. et §. 36. praebuerant. Haec verissime Garat. et Weisk. mihi videntur statuisse: nam negare non possum abruptius hic et impeditius dici de consilio discedendi.

quum mihi privato] in Erl. legi mendum hoc 'non mihi privata.'

cum exercitu eodem] sic cod. Erl. Vulgo editur 'cum eodem exercitu.' Intelligendus est exercitus Catilinarius. Quid vero hic pertinet ad gregales Clodii? Vide de hac re quae annotavimus ad §. 33.

superaram] in cod. Erl. legitur 'superatam.' in Dresd. 'superatum.'

Cap. XIII.

consul] A. Gabinius. *alii citabantur*] cfr. Sest. 15, 35: quum equester ordo reus a consulibus citaretur.

relegabantur] in cod. Erl. scriptum est 'relegebantur.' De re cfr. Sest. 15, 35: quum alii nominatim relegarentur. Pison. 10, 23: quum equites rom. relegarentur.

praesidiis] in codd. Erl. et Pith. legitur 'praedatione.'

demolitione sublati] cfr. Pison. 10, 23: quum arma in templum Castoris luce et palam comportarentur, id autem templum sublato aditu, revulsis gradibus ... armis teneretur. Sest. 15, 34: arma in templum Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur. de Dom. 24, 54: quum arma in aedem Castoris comportabas, nihil aliud nisi uti ne quid per vim agi posset machinabare? Quum vero gradus Castoris convellisti ac removisti, tum ut modeste tibi agere liceret homines audaces ab eius templi aditu atque ascensu repulisti? Parad. 4, 30: armatis latronibus templa tenuisti.

alter consules ut desererent ... proderent] sic edidi cum Wolf. Weisk. Beck. Klotz. Sic necessario legendum est non ut vulgo:

alter consul ut desereret ... proderet] sic cod. Erfurt. edit. prim. Mediol. Garaton. Nobb. Non significatur alter consul Gabinius, sed P. Clodius qui ambos consules promissione provinciarum obligaverat ut Ciceronem inimicis proderent.“ Lambin. „Pronomen 'alter' pro 'alio' vel 'secundo' — cfr. 1 Phil. 13: proximo, altero, tertio reliquis consecutis diebus — accipiendum est. Alius autem non alter, sed tertius est numero.“ Sav.

alter consul ut desererent ... proderent] ita scriptum legi in cod. Erl.

erat alius] „C. Iulius Caesar qui quum Galliam utramque cum imperio et exercitu obtineret, tamen non prius ad bellum profectus est quam Cicero ex Italia

pulsus esset. Clodii enim benevolentiam sibi retinere voluit ne ea quae consul contra leges gesserat, a tribuno pl. rescinderentur, ut in Pisoniana Cicero significat." Hotom. cfr. Sest. 18, 41: ipse autem Caesar erat ad portas, erat cum imperio, erat in Italia eius exercitus inque eo exercitu ipsius tribuni pl. — inimici mei — fratrem praefecerat. ibid. 23, 52: neque erit iusta causa ad portas sedenti imperatori, quare suum terrorem falso iactari opponique patiatur.

in multos annos] „in quinquennium lege Vatinia et contra legem Semproniam." Hotom. cfr. Vatin. 15. 35.

magnoque exercitu] „legiones quattuor praeter auxiliares ut Plutarchus scribit.." Hotom.

quem ego inimicum] in cod. Erl. inveni mendum hoc 'quoniam ego inimici.' Ceterum Wolfio non nimis prudenter Caesar cum Clodio compositus videtur. Klotzius contra: „Sehr geschickt weiss Cicero auch sein Verhältniss zu Caesar hier hereinzuziehen."

§. 33. *duae partes esse in re publ. quum putarentur*] sic scripsi cum editoribus omnibus.

duas partes in re publ. quum putaretur] cod. Franc. et edit. Venet. prior.

duas partes esse in re publ. quum putaretur] codex Dresdens.

Scio duas partes esse in re publ. quum putaretur] cod. Erlang.

Scio duas partes esse in re publ. quum putarentur] cod. Pith.

deposcere] cfr. Sest. 20, 46: quum alii . . . me unum deposcerent.

defendere timide] sic cod. Erl. Vulgo editur 'timide defendere'. cfr. Sest. 20, 46: quum proscriptio, caedes, direptio denunciarentur, quum alii me suspicione sui periculi non defenderent . . .

dicebantur] sic codd. Erl. Pith. itemque editio Graevii.

videbantur] lectio vulgata.

hoc auxerunt] sic solus cod. Erl. Quod vulgo editur 'in hoc aux.' id inusitatum esse bene vidit Wolfius.

infitiando] hoc referri necesse est non ad eos, qui Ciceronem re vera deposcebant, Clodium et consules, sed ad eos, qui ab his Ciceronis inimici esse dicebantur, Caesarem, Pompeium, Crassum, qui quum non infitiarentur, sed tacerent, hominum suspicio et cura non minuebatur, sed augebatur bonis viris dimicandi metus." Manut. cfr. Pison. 33, 82: quamquam quod ad me attinet numquam istam imminuam curam infitiando tibi: quem ibi versum L. Accii esse poetae notat Asconius. Sest. 3, 8: numquam illum . . . neque communem metum omnium nec propriam non nullorum de ipso suspicionem aut infitiando tollere aut dissimulando sedare voluisse.

relictum] sic cod. Erl. Lectio vulgata 'derelictum.'

collegiorum] cfr. Sest. 15, 34: servorum dilectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum, quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur . . . ibid. 25, 55: ut collegia non modo illa vetera contra senatus consultum restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur. Pison. 4, 9: collegia non ea solum quae senatus sustulerat restituta, sed innumerabilia quaedam nova ex omni faece urbis ac servitio concitata. ibid. 5, 11: pro Aurelio tribunali ne connivente quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis quam solitus eras intuente dilectus servorum habebatur ab eo qui nihil sibi umquam nec facere nec pati turpe duxit. de Dom. 21, 54: quum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos ex omnibus vicis concitatos. „De collegiis universis vide Dirksen Civil. Abhandl. II. pag. 1. seqq. Klenze ad fragm. leg. Serv. pag. 15 seqq. Rein in Pauly Realencycl. II. pag. 493 seq. et in Crim. R. pag. 824 seq. Mommsen de Colleg. et Sodal. Rom. Kilae 1843. Quae Mommsenius loc. citat. pag. 73 seqq. de collegiis a Clodio instauratis disputavit, haec fere sunt ad brevem summam redacta: „quae collegia P. Clodius tribunus a. 58. ant. Chr. nat. restituit senatus consulto a. 64. a. Chr. nat. sublata, ea urbana erant, maxime compitalicia, qualia cultores Larium compitalium ad idem compitum habitantes constituere solebant. Quae quamquam nomine sacrorum instituta erant, tamen aptissima erant ad turbas Romae movendas, quare hi coetus factiosorum hominum senatus consulto sublati sunt. Ad ea collegia restituenda ut viam sibi pararet tribunus pl. quidam ludos compitalicios contra senatus consultum facere conatus est, sed re-

tinuit eum a. 61. a. Chr. n. Q. Metellus Celer consul designatus [Pison. §. 8]. Melius Clodio res successit. Is ipsis Kal. Jan. a. 58. annuente coss. Pisone per sodalem suum Sex. Clodium ludos compitalicios instauravit, quidquid restitebat L. Ninnius, collega P. Clodii et triduo post legem suam de collegiis restituendis novisque instituendis tulit. Ipse Cicero non tam Clodii auctoritate, quam ut ultimum pugnae discrimen quam diu posset effugeret persuaderi sibi passus est utile sibi esse eam legem perferri et L. Ninnium dehortatus est ne legi intercederet, quod postea sera poenitentia a se factum esse querebatur. Quod autem Cicero ait 'servorum dilectus habebantur nomine collegiorum' tenendum est collegia compitalicia in numero sacrorum fuisse, a quibus servi non arcebantur." Halm ad Sest. 15, 34. vide et Drumann II pag. 240—242.

copias omnes Catilinae] cfr. Parad. 4, 27: reliquiae coniurationis a Catilinae furiis ad tuum scelus furoremque conversae... Sest. 19, 42: coniuratorum copias veteres et effusam illam ac superatam Catilinae importunam manum novo duce et insperata commutatione rerum esse renovatam... quem ad locum rectissime Halmius annotavit haec: Ciceroni Clodius quasi alter Catilina videbatur, quare saepe eius socios coniurationis copias veteres dicebat, qui Clodium novum ducem nacti essent. Idemque ad Milon. 21, 55: Cicero bedient sich in seinen Reden häufig zweideutiger Anspielungen, aus denen man auf eine Theilnahme des P. Clodius an der Catilinarischen Verschwörung schliessen könnte. Allein da er ihn dieser nirgends bestimmt beschuldigt und den Clodius mehr als den Nachfolger denn als Genossen des Catilina bezeichnet, so hat man solche Aeusserungen wohl nur als rhetorische Wendungen zu betrachten. Neque aliter eadem de re iudicavit Drumannus cuius haec sunt verba (II. pag. 203.): nie beschuldigt Cicero den Clodius der Theilnahme an der Verschwörung Catilina's. Die rednerischen Wendungen, die erst später der Hass gegen ihn eingab, beweisen Nichts: nach Plutarch schloss er sich vielmehr an das Gefolge des Consuls an, während er die Verschwörung unterdrückte, um ihn zu beschützen, und diess ist denkbar, da sie einander noch nicht beleidigt hatten. Aliter quidem de hac re visum est Asconio et Brücknero. Ego vero superiorum interpretum sententiam prorsus comprobandam censeo. cfr. de Dom. 22, 58: an si ego praesens fuissem, veteres illae copiae coniuratorum tuique perditi milites atque egentes et nova vis sceleratissimorum consulum corpori meo pepercissent? ibid. 23, 61: illa manus copiaeque Catilinae. Milon. 17, 34: quando illius (Clodii) postea sica illa quam a Catilina acceperat conquievit? Har. Resp. 3, 5: in me fuit Clodius eodem animo quo etiam eius familiaris Catilina, si vicisset, fuisset. cfr. in primis Pison. 7, 15. 16. ubi Cicero non solum quae ipse consul in opprimenda Catilinae coniuratione egisset, cum insigni Pisonis et Gabinii Clodianos furores adiuvantium nequitia comparavit, sed etiam cum Catilina Clodium. Quem locum qui accuratius inspexerit animoque expenderit multo profecto reperiet veriorem esse Halmii et Drumanni sententiam.

atque incendiorum] sic cod. Erl. Vulgo editur 'et incendiorum.'

vastitatis... permotos] cfr. Planc. 35, 87: aderat mecum cunctus equester ordo: quem quidem in contionibus saltator ille Catilinae consul proscriptionis denunciatione terrebat: tota Italia convenerat cui quidem belli intestini et vastitatis metus inferebatur.

potui] sic codd. Erl. Pith. Barber. Dresd. Franc. prim. editt. utraq. Venet. Oxon. Ern. Klotz.

potui, potui] editt. Gothofr. Garat. Wolf. Welsk. Beck. Nobb. Garatonius vero et Beckius ob gravitatem loci verbum existimant rectissime geminari.

ipse ille animus idem meus] de hoc loco inveni apud Reisig. §. 216. pag. 374. haec: „Mit ipse kann zwar verbunden werden hic, is, ille, jedoch nicht idem. Denn ein Verstärkungsbegriff ist in jedem einzelnen und verbunden schienen sie zu hart: daher auch nicht im Griechischen αὐτὸς ὁ αὐτὸς gesagt wird. Dieser Sprachgebrauch in seiner Vermeidung von ipse idem ist seiner Wahrheit nach noch nicht hinlänglich erkannt worden. In dieser Rede ist der unlateinische Ausdruck nicht für einen Fehler des Abschreibers, sondern des Verfassers zu halten, der nicht Cicero ist." Sed audiamus etiam Haasii Reisigium corrigentis verba: idem ipse ist nicht so unbedingt zu verwerfen, wie ja auch die Bedeutungen beider Wörter verschieden und in manchen Fällen sowohl ohne Wider-

spruch als ohne Pleonasmus leicht vereinbar sind. Aus Cicero kann ich nur beibringen die Stelle aus Verr. 1, 28, 71, wo aber statt ipsa zu lesen ist ipse. Zumpt hat übrigens daran keinen Anstoss gefunden und citirt auch keine Variante. Eine andere Stelle führt Forcellini an aus Tusc. 1, 17, 40, wo Matthiae illo für ipso lesen will, aber die Handschriften haben keine Variante. Wahrscheinlich finden sich noch andre sichre Stellen, für jetzt bemerke ich nur noch, dass ein eifriger und nicht ungeschickter Nachahmer des Cicero — Lactantius — sehr häufig idem ipse sagt. cfr. instit. christ. 2, 5, 28. §. 37. cap. 16. §. 2. u. liber 7. cap. 3. §. 6. „Es ist: ipse ille animus meus, qui tum idem erat atque fuerat Catilinae tempore.“ Nägelsbach. Ceterum vocabula 'idem meus' in codic. Barber. desunt comprobante Garatonio.

meus non incognitus] sic codd. Erl. et Pith. Vulgo editur 'meus vobis non incognitus.' „Ridet haec Wolfius, sed poterat tamen etiam verus Cicero, nondum in Cilicia victor, ratione habita temporum Catilinae dicere suum animum non incognitum fuisse.“ Beck. cfr. 3 Catil. 12, 28: est etiam in nobis animus, Quirites, ut non modo nullius audaciae cedamus, sed etiam omnes improbos ultro lacessamus.

multos alios mihi] sic cod. Erl. Lect. vulg. 'multos mihi alios'.

si victus] in Erl. legitur 'q̄. victus.'

et pro me et mecum] in Erl. inveni 'et pe me et mecum.'

tribunicii sanguinis] P. Clodii cfr. Sest. 19, 43: cui denique erat dubium quin ille sanguis tribunicius nullo praesertim publico consilio profusus consules ultores et defensores esset habiturus? Planc. 36, 88: nihil amplius dico nisi illud, victoriae nostrae graves adversarios paratos, interitus nullos ultores esse videbam. de Dom. 34, 91: mihi aut te interfecto cum consulibus aut te vivo et tecum et cum illis armis decertandum fuit. ibid. 24, 63. Ceterum cur Clodii furori cesserit et discessu suo se dimicationi subtraxerit copiosius enarravit in Sest. §§. 36—54. brevius in Pison. 7, 20. 21. Leg. 3, 11, 25.

praesentes, meae mortis poenas] in Erl. inveni 'praestantissimae mortis poenas' in Pith. scriptum est 'praesentissimae mortis poenas.'

iudicio et posteritati] poetica atque adeo vix poetis concessa figura est pro vulgari 'iudicio posteritatis' si quidem ne poetis quidem ambigue loqui licet.“ Wolf. „Inepte quis fictas figuras captans dicat esse ἓν διὰ δυοῖν pro 'iudicio postero.' Sed rectius statuimus mutandum esse in 'iudicio posteritatis'.“ Weisk. Mihi vero recte h. l. usus videtur Cicero hac figura cuius de vi conferri possunt quae bene disseruit Nägelsbach §. 73. 2. pag. 196. „Necesse non est ut huic sententiae medeamur quae nullo vitio laborat.“ Savels.

Cap. XIV.

§. 34. *sine ferro*]. „quia sola senatus auctoritate laqueo gulam condemnatis in carcere frangi iussit.“ Hotom.

aerumnam propositam] sic cod. Erl. et editt. Garat. Ernest. Wolf. Beck. Nobb. Klotz.

propositam aerumnam] editt. Gothofr. Graev. Weisk.

me ipse potius] in codd. Erl. et Pith. legitur 'mei ipsius potius' quod verum esse nequit. cfr. Cic. pro Scaur. 3 (frgmt.): Themistocles se ipse morte multavit.

abfuturum] in codd. Erl. Erfurt. scriptum est 'affuturum' et paulo post 'affuerunt.'

illa exterminata] „notabile est exterminata res publ. in aliis quoque locis harum oratt.“ Wolf. Cur notaverit nescio: si hanc locutionem minus Ciceronianam esse putavit, erravit: invenitur enim in aliis quoque orationibus. cfr. 2 Phil. 22, 54: rem publicam expulsam atque exterminatam suis sedibus. de Dom. 55, 141: res .. publica .. erat exterminata mecum. Quir. 6, 14.

remanendum esse amplius] sic codd. Erl. et Erfurt. correct.

remanendum amplius] editt. Garat. Wolf. Beck. Weisk. Nobb. Klotz. vocabulum 'amplius' in editt. ante Gruter. et codd. Parisin. Oxonn. quinque Barb. deest, sed receperunt editores excepto Weiskio omnes e codd. Erl. Erfurt. Pith. Palat. nono.

et illa simul atque] in cod. Erl. legi 'quia sit atque.'

revocavit] sic codd. Erl. Pith. Erf. correct. itemque editt. Graev. Lallem. Weisk. 'reportavit' lect. vulgat.

mecum leges, mecum quaestiones] cfr. 1 Cat. 7, 18: tu .. ad negligendas

leges et quaestiones ... valuisti. in tog. candid. 2, 1 (pag. 523. ed. Orell.): leges, quaestiones, iudicia violavit ... Ceterum contra Marklandum fidem huic loco abrogantem audiendus est Drumann. II. pag. 302: „nach Savels war Cicero noch ungewiss, als er im Senat sprach, ob er es werde durchsetzen können, dass man Pompeius mit der Zufuhr beauftrage, wesshalb er nur Hoffnungen äusserte: 2 Tage später als er vor dem Volk auftrat und der Senat auf seinen Vorschlag in Betreff des Triumvir schon eingegangen war, behauptete er mit mehr Zuversicht die Götter haben durch den Ueberfluss an Getreide ihr Wohlgefallen an seiner Rückkehr zu erkennen gegeben. Ohne Zweifel wurde aber die Rede an das Volk ebenfalls den 5. Septbr. gehalten und mehrere Tage im Senat verhandelt, ehe Cicero zu Gunsten des Pompeius seinen Antrag machte. Gerade jene Aeusserung über den Beifall der Götter und die schon von Gesner angeführten Worte aus der orat. de Dom. 6, 15: erant qui ... comprobasse. die sich auf die früheren Berathungen über seine Herstellung auf dem Capitol beziehen, lassen nicht verkennen, dass er an diese dachte, nach welchen das Getreide wohlfeil wurde. Reditus ist ihm nicht bloss seine Rückkehr, sondern auch die zunächst folgende Zeit und ein Beschluss, der den Zweck hatte, ihn zurückzurufen: wie er vom Senat, wenn er sich mit dieser Angelegenheit beschäftigte, den Ausdruck 'revocare' braucht und seine Flucht und auch die Zeit seiner Abwesenheit discessus nennt."

sanctitas omnis] sic solus cod. Erl. vulgo editur 'sanctitates omnes.'

§. 35. Cneius Plancius oriundus e praefectura Atinati in Macedonia tribunus militum fuit, in eadem provincia quaestor L. Appuleii. Corcyrae exsul a. u. c. 708. eum consolatur Cicero 4 Famil. 14 & 15. vid. Orell. Onomast. et Brückner. I. pag. 660.

custos capitis fuit] cfr. Planc. 10, 25: quasi pareus et custos meus. ibid. 42, 102: custos salutis meae.

provincialibus ornamentis] cfr. Nägelsb. §. 20. 3 b. pag. 62. Ornamenta esse insignia quaestoria, in primis praetextam et lictores, bene vidit Wolfius. Commoda quo pertineant facile est dictu, sunt enim fructus provinciae. cfr. 2 Famil. 12, 2: cum uno sermone nostro omnes fructus provinciae non confero.

totam suam quaesturam] cfr. Planc. 41, 98: Plancius simul ac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est. 41, 100: multosque menses a capite meo non discessit abiecta quaestoria persona comitisque sumpta. 25, 61: Plancius quaestor tantum ex re militari detraxit temporis quantum in me custodiendum transferre maluit...

loco esset] sic cod. Erl. quod mihi multo rectius esse videtur. Significat enim illam coniunctionem et necessitudinem, si re vera inter utrumque intercessisset, non cum quaestura finem habituram fuisse, sed duraturam in perpetuum. Lect. vulg. 'loco fuisset.'

si mihi quaestor imperatori] haec verba a Marklando Wolfioque damnata recte mihi Gesnerus videtur defendisse.

quaestor ... doloris mei] „debet esse quocumque modo particeps doloris. Sed hoc dictum est ex usu verbi nobis ignoto notandumque ut insolens et obscurum dum eius ratio aperiatur." Haec Weisk. protulit miro inductus errore. Quae enim haec ratio fuerit mihi videtur apertissimum. Cicero nimirum dicere voluit hoc: Plancius quamvis mihi non fuerit quaestor, tamen haud secus ac si hac necessitudine quaestoria ex more maiorum mihi coniunctus esset, socium se calamitatis et doloris mei praebuit. Cur autem hanc necessitudinem commemoraverit orator per se apparet: Plancius enim quo tempore Ciceroni fuit custos capitis quaestoriam personam gerebat. Wolfio quidem iudice nihil est frigidius hoc acumine, mihi vero non item videtur. „Non fuit verus quaestor meus imperatori, sed tamen quasi quaestor dolentis h. e. quaestoria necessitudine dolenti mihi coniunctus." Nägelsb. De hac autem necessitudine conferri etiam possunt loci hi: Verr, 2, 1, 14, 37. ibid. 15, 40. Div. in Caecil. 14, 46. Famil. 13, 10, 14. satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Simili vero necessitudine augurum quoque collegium coniunctum fuisse disces ex Cic. Brut. 1, 1. de orat. 2, 49, 200.

qui fuerit] sic cod. Erl. Vulgo editur 'quum fuerit.'

§. 35. *pariter cum re publ.*] 'cum' in Erl. excidit.

restitutus] in cod. Erl. inveni 'constitutus.'

[illegible]] sic codd. Erl. Pith. Erf. correct. editt. Lallem. Nobb. Klotz.

[illegible]] lectio vulgata.

augebo] sic codd. Erl. Oxon. duo. Vulgo editur 'adaugebo.' Accusativum autem quem tantopere desideravit Wolfius, nemo non facillime poterit cogitatione supplere.

Cap. XV.

mihi aliquid] hanc Erlangensis aliorumque codd. scripturam editores recepere omnes praeter Wolf. et Weisk. qui quidem ediderunt 'aliquid mihi.'

nunc me] cod. Erl. et lect. vulg. Ex Erfurt. Klotzius edidit 'me nunc.'

divinorum in rem p.] in codd. Erl. Erfurt. Oxon. C. scriptum est 'in rep.' Wolfius arbitratur tam magnifice Ciceronem non potuisse in senatu praedicare de meritis suis. Recte contra eum Savels. monuit haec: „divinum apud Ciceronem est fere quod excellit et praeclarum est in suo genere. Iam ego iudicem te ipsum constituo an fieri non potuisse putes ut Cicero qui soleret de se gloriose praedicare, divina sua in rem p. beneficia diceret. Nam accedit quod 3 Catil. 1 satis aperte significat se non modo deum, sed etiam multo maiorem Romulo ad deos immort. sublato sibi videri. Propter hanc ipsam gloriationem fortasse Clodius negavit esse ferenda quae Cicero de se praedicaret quum dicere soleret esse se Iovem: id quod memoriae proditum est in orat. de Dom. 34, 92. vide etiam Sull. 11, 33. Famil. 1, 9: divinam Caesaris liberalitatem. Planc. cap. 32: divina Racilii in se merita. Phil. 4, 2: C. Caesari honores pro divinis meritis divinos deberi. de Dom. 28, 75: nam quid ego illa divina atque immortalia municipiorum et coloniarum et totius Italiae decreta commemorem, quibus tamquam gradibus mihi videor in caelum ascendisse, non solum in patriam revertisse.

testem videatis] sic cod. Erl. Lectio vulg. 'testem esse videatis.'

importata] in codd. Erl. et Erf. correct. scriptum est 'imputata.' De importandi verbo vide Nägelsb. pag. 292.

§. 37. *P. Popilio*] haec est scriptura optimi cuiusque codicis — Erl. Erf. Oxon. C — vulgo scribitur 'Popillio.' Totum hunc locum totidem paene verbis inculcat in orat. ad Quir. 4, 9. „Hic est P. Popilius Laenas qui quum in consulatu in eos qui cum Ti. Graccho consenserant iussu senatus animadvertisset, postea C. Graccho legem adversus eos ferente qui cives rom. indicta causa ex urbe eiecissent in exsilium abiit et aliquanto post a L. Bestia tribuno pl. anno 633 restitutus est.“ Hotom. Idem consul fuit cum P. Rupilio a. u. c. 622, cfr. de Dom. 31, 82. 32, 87. Republ. 1, 3, 6. Brut. 34, 128. Cluent. 35, 95. Lael. cap. 2.

Q. Metello] saepissime Cicero suum ex patria discessum cum Q. Metelli Numidico comparavit. cfr. Sest. 16, 37. 47, 101. 62, 130. de Dom. 31, 82. 32, 87. Cluent. 35, 95. Pison. 9, 20. 1 Famil. 9, 16. Balb. 5, 11. Planc. 36, 89. Quir. 3, 6. 4, 10. Q. autem Calidii tribuni pl. lege a. u. c. 655. in civitatem restitutus est. vide Planc. 28, 69. Drumann. V. pag. 657. not. 9.

filius] „Metellus Pius qui ex assiduitate quam in populo pro patre orando adhibuit, hoc cognomen adeptus est.“ Hotom.

L. et C. Metelli] L. Metellus Dalmaticus, C. Metellus Caprarius uterque Macedonici filius. vide Ferratii Epist. pag. 131.

Metellarum filii] cum editoribus omnibus Manutii secutus sum coniecturam: nam absurdum est Metellas istas sorores Metellis eiusdem familiae nuptas fuisse. vide Pighii annal. rom. liber. 14.

pietate filius, consiliis parens] cfr. Q. fratr. 1, 3, 3: quum enim te desidero, fratrem solum desidero? Ego vero suavitate prope aequalem, obsequio filium, consilio parentem.

qui quum statuisset] cfr. Sest. 31, 68: decesserat ex Asia frater meus magno squalore, sed multo etiam maiore maerore. Huic ad urbem venienti tota obviam civitas cum lacrimis gemituque processerat. de Dom. 23, 59: quid frater meus? qui quum aliquanto post meum discessum ex provincia venisset neque sibi vivendum nisi me restituto putaret, quum eius maeror, squalor incredibilis et inauditus omnibus mortalibus miserabilis videbatur, quotiens ex vestro ferro ac

manibus est elapsus? Sest. 35, 76: universi destrictis gladiis... fratrem meum... oculis quaerebant, voce poscebant.

nisi me per vos] sic cod. Erl. idemque in margine editt. Lambini adscriptum est. Lectio vulgata 'nisi per vos me.'

§. 38. *propugnator et defensor*] cfr. Sest. 69, 144: video P. Sestium publicae causae defensorem, propugnatorem. quem ad loc. Manutius annotavit haec: „defendere et propugnare idem sunt aliquis dixerit. Idem, sed idem in genere, non idem omnino. Est enim quiddam quo alterum ab altero differat. Defendere non plane est propugnare: et propugnare est defendere. Defendimus etiam leviter: propugnamus acriter et cum actione vehementi ut quasi pugnam referre videamur."

C. Piso gener] C. Calpurnio Pisoni Frugi Cicero Tulliolam despondit a. u. c. 689. cfr. 1 Attic. 3, 3. Vatin. 11, 26. Sest. 24, 54. Quir. 3, 7. Sest. 31, 68: Ei fructum pietatis suae neque ex me neque a populo rom. ferre licuit. Scilicet est mortuus a. u. c. 697. cfr. Drumann. II. pag. 566.

propinqui sui consulis] in Erl. inveni 'propinqui consul.'

neglexit] provinciam negligere dicebat Cicero eum qui provinciam quam acceperat, repudiavit. cfr. 4 Catil. 11, 23: pro provincia quam neglexi. 3 Phil. 10, 26: L. Cinna qui omnino provinciam neglexit, quam item C. Caesetius repudiavit. 15 Famil. 4, 13: in consulatu meo et provinciam ornatam et spem non dubiam triumphi neglexi. ibid.: itaque et augur postea fieri volui, quod antea neglexeram, et eum honorem qui a senatu tribui rebus gestis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto. Famil. 14, 14: M. Laenius Flaccus qui periculum fortunarum et capitis sui pro mea salute neglexit. 7 Attic. 8, 4: putat eum consulatum hoc anno neglecturum.

de Q. Metello] sic codd. Erl. Erf. Pith. et editt. Klotzii. Vulgo editur 'Q. Metelli.'

interfectis inimicis] in cod. Pith. legitur 'refecti nimis.' in Erlang. 'refecti nis.'

nulla auctoritate senatus] desunt haec verba in codd. Erl. Erf. Pith. Sed a librario ad finem nimis festinante omissa esse videntur.

alter vim caedemque] in cod. Erl. scriptum legi 'alter caedemque.' cfr. Quir. 4, 9: numquam de P. Popilio, numquam de Q. Metello, numquam de C. Mario in senatu mentio facta est. Tribuniciis superiores illi rogationibus, nulla auctoritate senatus sunt restituti. d. Dom. 38, 87: illis qui expulsi sunt inique sed tamen legibus reducti, inimicis interfectis, rogationibus tribuniciis, non auctoritate senatus, non comitiis centuriatis.

nam C. quidem Marius] in cod. Erl. inveni 'nam quidem C. Marius.' Transposui 'quidem' edoctus ab Haasio ad Reisig. §. 263. pag. 455. not. 429: nam quidem ohne ein dazwichen stehendes Wort kann man nicht sagen: siehe Lindemann zu Plaut. Capt. 2, 3, 34. Peter zu Cic. Brut. Excurs. V. pag. 274—276.

tertius ante me consularis] primus fuit P. Popilius, alter Q. Metellus.

paene cunctum] sic cod. Erl. Lect. vulgat. 'cunctum paene.'

delevit] cfr. Sest. 7, 17: ad delendum senatum. ibid. 19, 44: senatum consules totum de civitate delerant. 4 Phil. 6, 14: M. Antonius senatum ... delere gestit.

convocatio] non est quod nos offendat hoc *ἅπαξ εἰρημένον*· nam nititur analogia cfr. advocatio.

§. 39. *revocarit*] in codd. Erl. et Erfurt. scriptum est 'vocarit.'

res publ. implorarit] falsam esse scripturam quae in codd. Erl. et Pith. invenitur 'respublica implorante Italia' testis est ipsa historia. Ceterum de hac re audienda sunt Klotzii verba: „Dass Cicero diesen Ausdruck von sich gebraucht habe, geht auch hervor aus Macrob. Saturnal. 2, 3. und aus Plutarch vit. Cic. cap. 33: *ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν.* Aus den von beiden darüber erwähnten Witzeleien kann mit Gewissheit geschlossen werden, dass Cicero diese Redensart öffentlich gebraucht habe: und so möchte auch diess ein äusseres testimonium für die Aechtheit der Rede abgeben, da sonst die Redensart in diesen Reden nicht weiter vorkommt und von Cicero wohl später absichtlich vermieden worden ist."

sint restituta] in cod. Erl. inveni 'sunt restituta.'

Excursus primus

quo examinatur latinitas locutionis 'interfectores rei publ.' quae legitur in oratione nostr. 2, 4.

Translatam hanc locutionem utpote quae a bona latinitate minime abhorreret negavit a Marklando iure vituperatam esse Nägelsbachius §. 138. pag. 398. De re quidem ipsa doctissimo viro prorsus assentior: tamen aliae fuere causae cur bene ita latine dici mihi persuaserim. Qua enim Nägelsbachius ratione locutionem defendit, ea rem confici posse non arbitror nisi monstratum fuerit frequenter a Romanis translata hac significatione usurpatum esse vel interfectoris vel interficiendi verbum. Quod quum nullo pacto possit probari, quum excepto Tertulliano theologo — qui (de carne Christ. 5) loquitur de interfectore veritatis — apud nullum alium antiquum scriptorem simili modo positum inveniatur hoc vocabulum, alia mihi defendendae locutionis via ingredienda esse videtur. Nimirum Cicero eam sibi finxit patriam sive rem publ. romanam quae humanae naturae expressam quamdam referret imaginem. Quam ob rem *προσωποποιίας* figura — grammaticorum enim utor sermone — quotiens de re publ. mentionem fecit fere numquam non usus est ita ut quaecumque humanam in naturam cadunt saepissime ab eo in rem publ. videamus translata. Operae vero esse pretium existimavimus copiosius de ea disputare. Humanam igitur personam rei publ. imposuisse Tullium ratione et via planum facere studebimus. Hominum autem natura quem ad modum constat ex mente et ex corpore, ita utrumque patriae tribuisse Ciceronem apparet ex praeclaro quodam loco qui legitur in orat. Cluentian. 53, 146: ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis et sanguine et membris, uti non potest. Nonne hoc loco leges vocat mentem civitatis? quumque nervos, sanguinem, membra enumerat, quid aliud quam per partes describit rei publ. corpus? de quo quidem diserte mentio fit locis his: Pison. 11, 25: principe Cn. Pompeio referente et de corpore rei publ. tuorum scelerum tela revellente. Muren. 20, 51: tum enim dixit (Catilina in senatu) duo corpora esse rei publ., unum debile, infirmo capite: alterum firmum sine capite . . . 8 Philipp. 5, 15: in corpore si quid eius modi est quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorum aliquod potius quam totum corpus intereat, sic in rei publ. corpore ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur. Membra praeterea illius rei publ. corporis non numquam commemorantur. Ac de universis quidem conferri potest locus ex Epist. ad Famil. 5, 13, 3: circumspice omnia membra rei publ., nullum reperies profecto quod non fractum debilitatumque sit. Singulorum autem memorata inveni potissimum haec:

I. Cervices si non ipsius rei publ. urbis certe rom. cfr. 1 Phil. 2, 6: patriae liberatores urbe carebant ea cuius a cervicibus iugum servile deiecerant.

II. Iugula cfr. Pison. 2: tela intenta iugulis civitatis.

III. Sinus, Gremium cfr. 13 Phil. 4, 9: Cn. Pompeii filium res publ. aspiciet suoque sinu complexuque recipiet. Coel. 24, 59: quum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae.

IV. Manus cfr. Sest. 63, 131: ipsius patriae dexteram . . . de Dom. 45, 119: quem perculsum ipsa res publ. suis manibus extolleret. Pison. 9, 19: neque ego cessissem et me ipsa suo complexu patria tenuisset. Flacc. 2. (frgmt. ab Angel. Mai. repert.): quem haec communis omnium nostrum patria propter recentem summi beneficii memoriam complexa teneat. Planc. §. 97: Brundisium veni quae urbs se vel potius exscindi quam e suo complexu ut eriperer facile pateretur. 4 Catil. 9, 18: obsessa facibus et telis impiae coniurationis vobis supplex manus tendit patria communis. 4 Catil. 2, 3: parvulus filius quem mihi vi-

detur amplecti res publ. Sest. 24, 53: quum ego me e complexu patriae... eripuissem.

V. Viscera, venae. cfr. 1 Catil. 13, 31: periculum residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publ. Pison. 12, 28: si pecuniam ereptam ex rei publ. visceribus dedisset. cfr. etiam Virg. Aen. 6, 832:

Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella,
Neu patriae validas in viscera vertite vires!

vide etiam locos Livianos hos: 22, 38. 32, 21. 33, 44. 34, 48. ubi item rei publ. viscera commemorantur.

VI. Sanguis cfr. Sest. 36, 78: praeter eos qui ab illo... perdito civi iam pridem rei publ. sanguine saginantur. de Dom. 47, 134: ille gurges heluatus tecum simul rei publ. sanguinem. Sanguinem autem translata significatione his locis idem valere quod medullam bene viderunt interpretes.

VII. Nervi. cfr. Imper. Pomp. 7, 17: vectigalia nervos esse rei publ. semper duximus. Sed et alia huius modi apud Tullium haud ita raro inveniuntur quae nisi oratoris animo obversatam esse rei publ. humano corpore instructae imaginem statueris, recte nequeunt intelligi. Namque saepius leguntur ***vulnera, mala*** inusta rei publ. 2 Phil. cap. 46. Sest. 7, 17. Attic. 1, 16, 7. Finib. 3, 24, 66. Pison. 14, 32. Vatin. 8, 20. 9 Phil. 3, 5. 2 Phil. 17, 43. Verr. 2, 5, 70, 179. Milon. 5, 14. 1 Agr. 9, 25. 3 Agr. 2, 4: refricare obductam iam rei publ. cicatricem. Tusc. 3, 22. fin. Reliqua deinde quae inveni eiusdem generis dicta sunt haec: Har. Resp. 22, 47: ex hac nimia non nullorum alienatione a quibusdam haerent ea tela in re publ.. prov. consul. cap. 9: omnia tela undique in patriam intenta esse. Sull. 31, 87: patriam demersam extuli. Sest. 33, 72: rem publ. arrodere. Muren. 39, 84: hoc quod conceptum res publ. periculum parturit. Planc. 29, 70: quam illi iudices graviorem potuerunt rei publ. infligere securim quam quum illum e civitate eiecerunt? Sest. 24, 54: statim spirante etiam re publ. ad eius spolia detrahenda advolaverunt. de Dom. 43, 112: haec (dea libertatis, imago meretricis Tanagraeae) ultrix afflictae civitatis rei publ. spoliis ornabitur? Attic. 4, 16. c. §. 10: amisimus omnem non modo sucum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. Linguae praeterea usum animique sensus rei publ. tribuisse Tullium declarant hi loci:

1 Famil. 9, 10: cum ipsa quasi re publ. sum collocutus ut... Sest. 20, 45: de quo te, te inquam, patria, testor... Famil. 10, 1: afui proficiscens in Graeciam et de meo cursu rei publ. sum voce revocatus. Sest. 23, 52: me... rei publ. voce esse revocatum. Imp. Pomp. 3, 8: Sullam in Italiam res publ. revocavit. Vatin. 3, 7: quem vides ipsius denique rei publ. luctu esse revocatum. Legib. 2, 3: rem publ. nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse quod ... Redit. in Sen. 5, 12: patriae preces.. 1 Catil. 7, 17: nunc te patria odit ac metuit, quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur:.. 1 Catil. 11, 27: si mecum patria, si cuncta Italia, si omnis res publ. sic loquatur: cfr. Cic. orat. 25, 85. 7 Famil. 32, 3: rem publ. quamvis in me ingrata sit amare non desinam. Satis igitur ex citatis his locis manifestum est non humano tantum corpore, sed etiam persona praeditam Ciceroni saepissime visam esse rem publ. Tamen haud scio an clarius etiam res possit intelligi, si omnibus morbis, periculis, rebus denique adversis, quibus mortalium genus conflictari solet, rem publ. quoque obnoxiam Ciceroni fuisse ostendero. Afferam igitur eos locos quibus de ***morbis*** rei publ. fit mentio. Sunt autem, potissimum hi:

Sest. 13, 31: omnia consilia P. Sestii mentemque totius tribunatus hanc fuisse ut afflictae et perditae rei publ. quantum posset mederetur. 1 Catil. 13, 31: ut saepe homines aegri morbo gravi quum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur, sic hic morbus qui est in re publ. relevatus istius poena vehementius reliquis vivis ingravescet. 2 Attic. 1, 7: tamen non minus esset probanda medicina quae sanaret vitiosas partes rei publ. quam quae exsecaret. Sest 65, 135: cohortari ausus est accusator vos iudices ut aliquando medicinam adhiberetis rei publ. Non ea est medicina quum sanae parti corporis scalpellum adhibetur atque integrae: carnificina est ista et crudelitas. Hi medentur rei publ. qui exsecant pestem aliquam tamquam strumam civitatis. Div. in Caecil. 21, 70: et profecto hoc reme-

dium est aegrotae ac prope desperatae rei publ. Verr. 2, 1, 2, 5: itaque mihi videor et maxime aegram et prope depositam rei publ. partem suscepisse. Famil. 12, 23: sana et salva res publica (cfr. Liv. 3, 17: haec vobis forma sanae civitatis videtur?) Republ. 2, 1: exsanguis res publ. (cfr. Florus 3, 23: quasi aegra sauciaque res publ. Liv. 2, 57: distractam laceratamque rem publ. . . Sall. Iug. 41, 5: ita omnia in duas partes abstracta sunt: res publ. quae media fuerat dilacerata. Liv. 5, 3, 6: semper aegri aliquid esse in re publ. volunt ut sit ad cuius curationem a vobis adhibeantur.) Milon. 25, 68: omnes tibi rei publ. partes aegras et labantes ut eas his armis sanares et confirmares esse commissas. Verum rei publ. adeunda saepe etiam ingentia pericula. Namque ei haud ita raro bellum est cum nefariis hostibus — perditis plerumque civibus — qui eam delere, opprimere (de Dom. 10, 26) capere (ibid. 50, 129) evertere, omni scelere lacerare (offic. 1, 17, 57. redit. in sen. 2, 3) student, qui gladios in eam destringunt (quod Catilina fecisse accusatur 3 Cat. 1, 2 — in quem unum tota res publ. armata erat Milon. 25, 67) qui plagam denique insanabilem, mortiferam rei publ. imponunt (Sest. 19, 44.) Quo extremo in discrimine si a magistratibus qui proprii eius defensores custodesque debent esse, rei publ. praecipitanti non subvenitur (Sull. 31, 87), si ab iis deseritur, venditur, tum eo res venire solet ut afflicta illa et constricta hostibus tradatur (Sest. 10, 24) atque ab iis contrucidetur cfr. Sest. 10, 24: il summi imperii nomine armati tum rem publ. contrucidarunt. Quod qui committunt appellantur a Cicerone: exstinctores patriae (Sull. 31, 88), perditores ac vexatores rei publ. (Vatin. 3, 7), eversores imperii rom. (Sest. 7, 17), eversores civitatis (part. orat. §. 30.), interfectores rei publ. (Red. in Sen. 2, 4). Scelus vero eorum iure vocatur parricidium patriae (offic. 3, 21, 83. 11 Phil. 12, 29. Sull. 2, 6). Namque patria communis omnium est parens. cfr. 9 Attic. 9, 2: in hoc bello tanta vis sceleris futura est ut quum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam et sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putent. Republ. 1, 4: neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis . . cfr. Tusc. 1, 14, 31: vir magnus . . rem publ. non seret? Republ. 2, 3: serere diuturnam rem publ. Quibus de certaminibus orator ubi mentionem facit tantum eius variat oratio ut modo eam nobis ante oculos ponat rem publ. quae ipsa se et amicos suos viri fortis instar contra hostium impetus et furores defendat, modo eam depingat quae alieno egeat auxilio. cfr. 3 Famil. 11, 3: te ab ipsa re publ. defensum scribis. Brut. 27, 103: sed eorum alter (Ti. Gracchus) ab ipsa re publ. est interfectus. Leg. 3, 9, 20: quid iam de Saturnino, Sulpicio, reliquis dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit res publ. Verr. 2, 4, 8, 17: tua te altera patria . . . Messana circumvenit. Har. Resp. 19, 40: hoc enim etiam turpius afflictatur res publ. quod ne ab eo quidem vexatur ut tamquam fortis in pugna vir acceptis a forti adversario vulneribus adversis et honestis cadere videatur. — 4 Famil. 1, 1: utinam aliquid opis occidenti rei publ. tulissemus. Red. in Sen. 7, 18: occidisse rem publ. Vatin. 15, 35: misera et prostrata res publ. Famil. 10, 3: maxima orbitate rei publ. virorum talium . . . (cfr. Vell. Patercul. 2, 16: fluentem procumbentemque rem publ. restituere. Liv. 45, 26: ut communi ruina patriae opprimerentur). *Interitus* deinde vel *occasus* rei publ. a Cicerone saepius commemoratur. cfr. Sull. 11, 33: quum exercitus perditorum civium . . . crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset, quum ad occasum interitumque rei publ. Catilina . . . dux esset constitutus. Pison. 8, 18: senatum rei publ. occasum atque interitum lugere vetuisti . . . 9 Famil. 20, 3: patriam eluxi iam et gravius et diutius quam ulla mater unicum filium. (cfr. Liv. 4, 9, 10: occasus patriae). Idem occasus rei publ. saepissime etiam *funeri* comparatur. cfr. locos hos:

4 *Catil.* 6, 11: cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium. de Dom. 16, 42: qui etiam de me ipso quum tua rogatione funere elatam rem publ. esse dicerent, tamen id funus, etsi miserum atque acerbum fuisset, iure indictum esse dicebant. Quod de me civi ac de re publ. bene merito civi tulisses, funus te indixisse rei publ. prov. cons. 19, 45: itaque vir summa auctoritate . . . dixit graviter casum illum meum funus esse rei publ. sed funus iustum et indictum. Pison. 9, 21: arbitria non mei solum, sed patriae funeris abstulisti. cfr. Red. in sen. 7, 18. Sest. 51, 109: an in qua furiae concitatae tamquam ad funus rei publ. convolant? Pison. 29, 72: in illo elogio quod in sepulcro

rei publ. incisum est. orat. 3, 3, 10: ut ille qui haec non vidit et vixisse cum re publ. pariter et cum illa simul exstinctus esse videatur. Parad. 4, 30: quum omnes meo discessu exsulasse rem publ. putent . . . [Cfr. etiam locos Livianos hos: 28, 28: si ego morerer, mecum exspiratura res publ. erat. ibid: meo unius funere elata populi rom. esset res publ. 24, 22: periculum ingens manet . . . ne libera efferatur res publ. 31, 29: elato et extorri eiecto populo Campano]. Expositis iam omnibus rei publ. fatis unum addam rem publ. Tullio visam adeo immortalem. Immortalem illam esse memini me legisse loco quodam Ciceroniano, quem quum non statim mihi notaverim, excidit e memoria. cfr. tamen 6 Famil. 2, 2: rem publ. recreari aliquando. ibid. 6, 2, 3: si civitas respiraverit. 4, 4, 3: ita mihi pulcher hic dies visus est ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis rei publ. 6, 10, 5: et ipsa causa ea est ut iam simul cum re publ., quae in perpetuum iacere non potest, reviviscat atque recreetur. Sed ut revertar eo unde digressus sum, satis iam locum a Marklando vituperatum defendisse mihi videor.

Excursus secundus
quo disputatur de lege Aelia et Fufia.

Quae quoniam lex hac in oratiuncula saepius commemoratur, silentio eam praetermittere non existimavi mihi licere. Tamen nondum absoluta perdifficili de ea lege quaestione nolui hoc loco accuratius rem inquirere: interpretis tantum spectans officium quae ad explicandos eos, quibus de ea mentio fit locos, necessaria mihi viderentur exposuisse satis habui. Primum igitur inspiciendus est locus 5, 11: *legem tribunus pl. tulit ne auspiciis obtemperaretur, ne obnunciare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret*] . . . cfr. Sest. 15, 33: lata lex est ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quia legi intercederet. Quem ad locum Halmius haec annotavit: Si Cicero haec separans duplex auspiciorum genus complecti et discernere voluit, prius de omni genere auspiciorum, eorum quoque quae ab auguribus capiebantur, intelligendum esse puto, posterius autem proprie de spectione caeli seu de obnunciatione eorum magistratuum qui spectionem habebant. Plane contrarium senserunt Manut. et Abresch. quibus verba 'ne auspic. valer.' proprie de spectione caeli intelligenda esse videbantur.

Sed haud scio an verissimum sit utrumque ad unam spectionem caeli referre, de qua sola lex Aelia cavisse videtur, si quidem confirmavit ut omnibus diebus quibus cum populo agi posset, de caelo servare liceret. Hoc etiam veri similius videbitur, si Goettling recte statuit legem Aeliam ad sola comitia tributa et concilia plebis pertinuisse. vide Pauly Realencycl. II. pag. 1177. Si lex Ael. et Fuf. diversae inter se fuerunt. lex Fuf. cavebat ne omnibus diebus fastis legem ferre liceret.

ne legi intercedere liceret] putat Manutius intercessionem tribuniciam a Clodio lege lata sublatam esse, non tamen omnem, sed tantum quum legi intercederetur. Contra Ferratius Epistl. V. 8. pag. 344 locis aliquot allatis ex quibus apparet ne illam quidem intercessionem tribuniciam illo anno fuisse sublatam, recte contra Manutium ita disputavit: „non est veri simile hominem popularem qualis erat P. Clodius institutionem maxime popularem e re publ. sustulisse: Ciceronem quum reliqua totiens exprobraret etiam levissima, de hoc uno crimine commemorare noluisse: Dionem et Asconium de sublata obnunciatione tam multa, de intercessione nihil attigisse. Ceterum quamvis e re publ. intercessionem non tollam P. Clodio tribuno pl. non tamen existimo illum collegarum intercessione impeditum fuisse quin omnes a se promulgatas leges perferret. Quum enim omnia per vim gererentur revulsis templorum gradibus in quibus comitia habebantur, bonis viris nullus patere aditus poterat.“ Puto tamen quaestionem difficilem accuratius etiam tractari potuisse. Quod ut recte modoque fiat, loci in quibus inter-

cessionis illius praeterea mentio fit, paulo propius aspiciendi sunt: Vatin. §. 18. prov. cons. §. 46. redit. in sen. §. 11. Sest. §. 56. Ex his locis perspicitur nusquam intercessionem illam sublatam commemorari, nisi ut simul legis Aeliae et Fufiae mentio inferatur, nec quidquam omnino afferri unde conicias intercessionem tribuniciam a Clodio aut omnino aut ex parte sublatam esse, quum tribunicia intercessio ne verbo quidem appelletur. Quam ob rem censeo in his omnibus locis eam intercessionem significari quae obnunciatione facta fiebat, quum magistratui comitia habenti et magistratus paris potestatis et tribuni pl. obnunciare possent. Hac enim via leges non minus impediebantur quam quum tribuni pl. proprio suo iure intercedendi utebantur. cfr. Rubino Untersuchungen I pag. 80. Interpretes autem qui de intercessione tribunicia a Clodio sublata somniaverunt, fucus oratorius Ciceronis in fraudem deduxit.“ Halm. ad Sest. 15, 33.

ut lex Aelia et Fufia ne valeret] hanc quam fere optimus quisque codex tuetur lectionem ut immutarem eo minus a me potui impetrare quia nondum satis constat diversas inter se fuisse illas leges. cfr. Sest. 15, 33: ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret. Quem ad locum Halmius: „qui locus videtur ad quaestionem dubiam num Aelia et Fufia duae leges fuerint an una a duobus collegis lata, solvendam aliquid afferre: tenendum est enim Ciceronem hoc loco bis voce legis usum esse, id quod ne oratorie quidem, nisi duae leges fuissent, eum facturum fuisse equidem pro certo habeo. Adde infra 26, 50. Eo accedit quod ubi de solis auspiciis sermo est saepius una lex Aelia nominatur.“ Quamquam autem nostra aetate maior hominum doctorum pars duas leges fuisse statuerunt, tamen perdifficilis mihi res videtur ad disceptandum propterea quod parum sibi constans Cicero ubi de lege Ael. et Fuf. mentionem facit, singulari promiscue et plurali numero loqui solet. Atque ipsa Halmii verba plena cautionis satis indicant ne doctissimum quidem Ciceronis explanatorem certi quidquam hac de re audere decernere.

quae nostri maiores . . . esse voluerunt] cfr. in primis Vatin. 7, 18: quae leges saepe tribunicios furores debilitaverunt et represserunt. Pison. 4, 9: lex Aelia et Fuf. eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii. cfr. et Vatin. 9, 23.

Explicandus deinde locus redit. in sen. 11, 27: *decrevistis ne quis ulla ratione rem impediret.*] Clodius tribunus pl. anno superiore legem tulerat ne quis de caelo servaret atque ita obnunciationem e re publ. sustulerat: quid igitur necesse erat decernere ne illud fieret quod fieri per legem Clodiam non licebat? Respondet Manutius: „non abrogata quidem fuerat illa lex, sed senatus decernebat quasi numquam lata fuisset.“ hoc est non putabat eam esse legem. O rem plane incredibilem! si quid promulgabatur quod rem publ. laederet et optimates affligeret, tum lex Clodia valebat: si quid ferendum erat pro restituendo bonorum statu, pro dignitate nobilium, pro libertate nullius tum momenti esse putabatur patribus ipsis quos repugnare oportebat auctoribus? In or. de prov. cons. 19, 45: summi civitatis viri illud iure rogatum dicere ausi sunt quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit quia nemo de caelo servarat. Cur nemo servarat? quia impediebantur lege Clodia. Legem igitur Clod. probabant, quum de pellendo in exsilium Cicerone ageretur, quum idem restituendus esset non probabant? At quanta gravitate senatus frequens decrevit in eum magistratum qui servasset de caelo! „Si quis aliter fecisset eum plane eversorem rei publ. fore et cet.“ Non tamen se magistratui obnuncianti obtemperaturum esse negabat et everti rem publ. malebat quam agi cum populo si quis de caelo servasset. Optime: quam ob rem autem vir ampl. M. Cato (vide eamdem orat. de prov.) de Ciceronis exsilio latum iure dicebat? quia auspiciorum religione conservata latum fuerat, quia nemo de caelo servarat. An quum legem illam suam tulit Clodius, ne quis servaret in posterum de coelo, de coelo quisquam servasse dicitur? Nihil minus. Cur non in omnibus actis P. Clodii non eadem sit auspiciorum ratio? cur valent reliqua etiam in perniciem rei publ. quod nemo de caelo servare potuerit: lex quae prohibet servare de caelo non valet quum illam ferente Clodio nemo servaverit? quam unam legem si Clodius non tulisset, nihil eorum quae deinde gessit, ratum fuisset. Fac decrevisse senatum, tamquam si lex Clodia numquam fuisset lata, etiamne reliqui magistratus eam nullam esse arbitrabantur? In Sestiana §. 78: si obnunciasset Fabricio is qui se servasse de caelo diceret et cet.. §. 79: venit in templum Castoris, obnunciavit consuli. §. 83: quumque auspiciis religionique parens obnun-

ciaret quod senserat. 4 Att. 3, 3: proscripsit Sestius se per omnes dies comitiales de caelo servaturum et pergit referre quo modo Appius Miloni, Metello consuli Milo obnunciaverat. Ex quibus colligi potest non modo senatum, verum omnes etiam magistratus existimasse non esse e re publ. sublatam obnunciationem. An vero legem Clodiam nullam esse putabant? At leges omnes nisi abrogarentur, quaecumque illae erant, inutiles quoque et perniciosae, ratae erant ut docet Ascon. in Cornel. Quid igitur de lege Clodia sentiendum est? Non ad omne reliquum tempus eam respexisse arbitror, quem ad modum Ant. Augustinus docet, sed ad illum annum tantum modo quo Clodius fuit tribunus pl. et ad unum Clodium, non ad omnes promiscue illius anni magistratus pertinuisse. Quod igitur SCto cautum est in gratiam Ciceronis ut una lex illa de ipsius reditu perferri posset, id ne sibi in toto tribunatu contingeret Clodius lege lata prohibuit. Idem ex Dione 38, 14 colligitur. Equidem opinor si de obnunciatione et intercessione in perpetuum tollenda actum fuisset, non fuisse quieturos optimates. Scilicet ea vis et sententia fuit legis Clodiae ne sibi tribuno pl. legem quamlibet ferenti vel tribuni collegae intercedere vel alii magistratus obnunciare possent: quod oratorie Cicero saepe conqueritur, quippe ipsi et universae civitati perniciosum fuerat. E Ferrat. III 1. pag. 139 seqq. Summa expositionis Ferratii vera videtur quamquam Tullius in or. de prov. cons. §. 46. ita loquitur quasi etiam tum leges Aelia et Fufia abrogatae fuerint. Eas lege lata restitutas esse quis pro certo affirmet? etsi videmus statim post tribunatum Clodii magistratus iure obnunciationis denuo uti coepisse. Aliter Matthiae rem sibi finxit qui putat illo senatus decreto legem Aeliam ad tempus sublatam esse, quum Clodius eamdem in rebus ad contiones spectantibus sustulisset. Qua in re hoc oblitus est, propterea senatum illud decrevisse ne si lex ad populum lata esset, ulla obnunciatio fieri aut alia mora afferri posset. An hoc sibi voluit Matthiae legem Clodiam ad sola comitia tributa, non etiam ad centuriata pertinuisse? At si hoc voluit quid de ceteris locis quos Ferratius attulit, statuendum erit, ex quibus apparet etiam in contionibus iam primo anno post legem Clodiam semel iterumque obnunciatum esse. Cuius denique scriptoris testimonio probabitur in tribunatu Clodiano legem Aeliam in aliis rebus valuisse, in aliis non valuisse? Drumann. qui quaestionem dubiam nullo quod ego sciam verbo tetigit, illud tamen bene monuit II. pag. 238. simili SCto iam a. 61. Aufidium Lurconem, tribunum pl., lege Aelia et Fufia solutum esse ut legem de ambitu ferret. vid. 1 Att. 16, 13. Monstraverant igitur optimates Clodio ipsi viam qua in eos grassaretur. Halm. Conferri praeterea possunt Brückneri verba (I pag. 329): Nur von einer Suspension, nicht von einer völligen Aufhebung des noch später bestehenden Gesetzes ist die Rede. Wenn Cicero von einer totalen Aufhebung des Gesetzes spricht und darnach die Verderblichkeit der Vorschläge des Clodius schildert, so ist das eine Uebertreibung, die er sich in so fern wohl erlauben konnte, als die obnunciatio von Clod. allerdings der lex Fufia entgegen für die Dauer seiner Amtsführung unmöglich gemacht wurde. Haec mihi de lege Ael. et Fuf. commemoranda esse videbantur: plura de ea qui voluerit scire, inveniet in primis in Pauly Realencyclop. apud Orell. in Onomast. vol. III ind. legg. Drumann. II. pag. 239.

Excursus tertius

quo agitur de loco quodam difficiliore qui legitur in orat. p. red. in sen. 8, 21: M. Curtius cuius ego quaestor patri fui.

Duplex in hoc loco inest difficultas. Primum enim propter varias codicum scripturas de vero huius tribuni pl. nomine nihil certi exploratique habemus: deinde vehementer ab interpretibus dubitatur fueritne M. Tullius re vera M. Curtio in Sicilia quaestor. Primum igitur afferenda est omnis scripturae varietas:

M. Curtius] sic codd. Erl. Erf. et editio Weiskii.

M.' Curtius] ita ediderunt Gruter. Lallem. Ernest. Nobb.

M.' Curius] codd. Oxonn. tres et editt. Graev. Lambin. Garat. Wolf. Beck. Klotz.

M. Curius] codd. Barb. Dresd. Franc. prim. et edit. Venet. prior.

cuius ego quaestor patri fui] sic cod. Pith. quicum consentit Erl. praeterquam quod mendose 'pari' scriptum est pro 'patri.'

Ciceronem deinde non Curtio aut Curio, sed Sex. Peducaeo in Sicilia quaestorem fuisse testis est ipsa rerum romanarum historia. Quare quum primus hoc loco haesisset Manutius, Hotomanus et Pighius hominem a Sex. Peducaeo adoptatum fuisse suspicati sunt. Curium vero eum rectius dici iidem arbitrantur. Verum qui nuperrime Ciceronis vitam enarravit Brucknerus diligenter pensitato hoc loco difficultatem illam ista ratione tolli posse negavit his verbis: „Das Jahr 75 vor Chr. war das Jahr der Quaestur des Tullius in Sicilien. Dass Sex. Peducaeus als Praetor von Sicil. sein Vorgesetzter war, sagt zwar Cicero — obwohl er an mehr als Einer Stelle von ihm spricht (10 Att. 1, 1. Finib. 2, 18, 48) — nirgends ausdrücklich: viel mehr wird Red. in Sen. 8, 21 der Vater des M. Curius genannt. Diese Angabe wird aber — auch abgesehen von dem zweifelhaften Ansehen der Rede, durch die Worte des Cicero selbst in seiner Rede gegen C. Verres widerlegt. Hiernach war Peducaeus (Verr. 3, 93, 216) 2 Jahre Statthalter in Sicilien und zwar während einer Theurung, die auch während Cicero's Amtsführung Statt gehabt haben soll. (Plutarch. vit. Cic. 6. Cic. pr. Planc. 26, 64.) Diese Theurung dauert noch während der Statthalterschaft von C. Sacerdos (Verr. 3, 92, 214) des Vorgängers von Verres (lib. 1, 10, 27) fort. Da nun die Verwaltung des Verres in Sicilien 3 Jahre dauerte, so gehörte die des C. Sacerdos, der im Jahr 75 — ebenso wie Verres anno 74 — in Rom praetor urbanus gewesen war, in das Jahr 74, die des Sex. Peducaeus folglich in die Jahre 76 u. 75. Bekleidete folglich Cicero anno 75 die quaestura Siciliae, so bekleidete er sie auch unter dem Praetor Sex. Peducaeus, sowie zugleich aus andern Stellen hervorgeht, dass es die westliche Hälfte der Insel mit der Hauptstadt Lilybaeum war, wo er die Quaestur verwaltete. An Versuchen, die Schwierigkeit der Stelle (8, 21) zu beseitigen, hat es nicht gefehlt. An eine stellvertretende Verwaltung (wie Verr. 1, 15, 41) des Curius scheint jedoch eben so wenig gedacht werden zu können, als an eine Adoption des Curius durch Sex. Peducaeus, oder an eine städtische, der sicilischen etwa vorhergegangene Quaestur (wie Corradus Quaestion. pag. 45 gemeint hat.) In Verr. 5, 14, 35. spricht Cicero so von seiner Quaestur, dass man sieht, wie auf seine Wahl unmittelbar auch seine Bestimmung für Sicilien folgte." Klotzius deinde protulit haec: „Im Fall, dass die Annahme einer Adoption auf Schwierigkeiten stossen sollte, möchte ich lieber Curtius lesen, da auf ein enges Verhältniss der Curtii mit Sex. Peducaeus der Umstand führt, dass ein Praetor C. Curtius Peducaeanus vom Jahr 704 a. u. c. erwähnt wird." cfr. Famil. 13, 59. Q. frat. 1, 4. Brückneri disputatio si vera est equidem qua ratione difficultas expedienda sit, non video.

Epilogus.

Vere Tullianam esse hanc orationem quantum potui in commentariis probare conatus sum. Quod quo fecerim successu videant doctiores. Unum tamen etiam nunc restat ut — id quod in Prolegomenis pollicitus sum — quam in damnanda oratiuncula Marklandus et Wolfius ingressi sint argumentandi rationem paucis adumbrem. Illam autem argumentationem perversissimam mihi quidem et iniquissimam videri non dubito contendere. Quidquid enim in singulis vel rebus vel verbis invenitur eius modi quod singulare, novum, insolitatum sit neque in

reliquis reperiatur Tullii libris, statim hoc acerbissimi isti iudices abhorrere statuunt a Ciceronis latinitate certissimumque esse *νοθείας* argumentum. Itemque si quid hac in oratiuncula legitur haud dubie Tullianum, si vel in sententiam incurrimus vel in locutionem quamdam aliis in libris a Cicerone similiter prolatam, ipsam ob similitudinem iidem suo sibi iure videntur affirmare indignum Cicerone esse libellum atque a declamatore nescio quo effictum. Quod si isto modo argumentatus eris, quis est qui ignoret ex praestantissimis veterum scriptis nihil non quod quidem ad nostram usque pervenerit aetatem, facili negotio a quovis homine litterato posse non solum vituperari, sed damnari et scriptori abiudicari? Adde quod multo mehercule facilius est libellum antiqui scriptoris nomen prae se ferentem suppositum declarare quam eumdem contra criticorum suspiciones idoneis argumentis defendere. Sed haec hactenus: videndum iam quo modo istas calumnias et suspiciones possimus refutare. Atque duo potissimum sunt quae monitos esse velim omnes quicumque indagandae harum orationum origini dant operam. Primum enim Cicero iniuriae ac sceleris Clodiani numquam immemor in omnibus quas redux ex exsilio habuit orationibus plus iusto multus est et copiosus in enarranda illius anni quo in exsilium pulsus est historia. Quid quod longa saepe digressione utenti dies potius quam materia defectura videtur ad enumerandos omnes Clodii furores et flagitia, ad depingendam insignem consulum (Pisonis et Gabinii) nequitiam, ad commemoranda denique omnia quae illo anno de se aut eiciendo aut restituendo sunt acta. Miram deinde qui istas orationes diligenter et assidue lectitaverit et rerum et verborum in illis inveniet similitudinem. Num vero idcirco in eorum statim discedet sententiam qui de eloquentia Tulliana et oratorio eius ingenio nimis fortasse bene existimantes solam fere hanc ob causam ex Ciceronianarum orationum numero non nullas non dubitant eicere? An eos potius verum vidisse existimabit si qui forte ad variandas eiusdem prope argumenti sententias et locutiones ingenii vires oratorem arbitrantur defecisse? Aliter prorsus mihi quidem de hac re statuendum videtur. Dedita enim opera Ciceronem puto his in orationibus omnibus pauca tantum variasse. Quum enim unam fere eamdemque adversariorum nationem, qui iidem aut perditi plerumque cives aut aperti erant patriae hostes, his in orationibus omnibus carperet et perstringeret, proprium quoddam maledictorum et conviciorum genus sibi finxit orator quo inimicos suos obrueret, laceraret, iugularet. Quod quo potissimum fecerit consilio nolui hoc loco accuratius decernere. Rem autem ipsam procul dubio veram esse apparet ex oratt. Catilinariis, Verrinis, Philippicis, ex iis denique quibus Clodium et nequissimum illud consulum par lacessivit. Quamvis enim magnus sit conviciorum numerus quae in acerbissimos istos inimicos congerere solet — cfr. indicem maledictorum quibus Piso carpitur a Drumanno confectum. vol. II. in vita Pisoniana — tamen quotiens cum adversariis rixatur, sive in Catilinam et eius gregales invehitur, sive in Verrem, sive in Clodianos, sive in Antonium denique triumvirum, eodem fere numquam non et sermone et calumniandi genere Ciceronem reperies utentem. Conferri etiam possunt de hac re quae annotavimus in Commentariis pag. 38. (§. 14.) pag. 52. (§. 26.) Fecit igitur hoc fortasse propterea quod audientium ita animos maxime sibi delectaturus esse videbatur. Fortasse etiam ipse proprium hoc conviciorum genus sic adamavit ut nihil istis maledictis gravius, nihil vehementius, nihil iniuriosius dici posse arbitraretur. Posterius quidem mihi etiam veri videtur similius: atque haud scio an assensores habiturus sim omnes quicumque humanam naturam penitus norunt. Minime praeterea obliviscendum est Ciceronem omnes istas orationes animo habuisse iratissimo. Inde etiam intelligitur cur totiens illius anni historiam enarraverit, cur commemorandis turbulentis adversariorum contionibus et consiliis exponendisque suorum contentionibus quibus exsulis reditum perficere conabantur, nullum omnino invenerit modum. Tam atrox enim homini visa est iniuriarum acceptarum moles quae verbis numquam satis posset explicari. Accedit denique quod in aliis quoque Ciceronis orationibus loci inter se simillimi inveniuntur. Optime quidem Halmius (vide quae annotavit ad orat. Milonian. 36, 100.) monuit epilogum quem vocant Milonianae simillimum esse Sestianae: in utraque enim oratione reo, si condemnatus fuerit, exsilii se participem futurum pollicetur Cicero. Neutra tamen idcirco oratio cuiquam visa est suspecta. Pauca etiam restant quae de utraque post reditum oratione mihi monenda esse videntur. Recte arbitror statuisse Drumannum Ciceronem uno eodem-

que die et patribus conscriptis et Quiritibus egisse gratias. cfr. de hac re quae annotavimus ad 14, 34. Quam vero in senatu habuit eam propter magnitudinem dictam esse de scripto ipse testis est Tullius (pro Planc. 30, 74.) Apud Quirites autem quum eamdem paene in sententiam verba ei essent facienda, parum mihi probabile videtur Ciceronem novam quamdam quam apud populum diceret orationem, commentatum esse. Veri profecto similius est eamdem illum orationem, quam in senatu de scripto, apud Quirites memoriter dixisse mutatis tantum modo iis quae pro re nata oratori viderentur varianda. Sed satis iam docuisse mihi videor cur quae his in orationibus inveniuntur similitudines neminem iis merito oporteret offendi.

Index rerum et verborum.

Corrigenda.

pag. 13.	§. 11.	lege	'contra' pro 'contar'.
- 15.	- 18.	-	'ferentibus' pro ferentihus'.
- 17.	- 24.	-	'dexteramque' pro 'dexteramquae'.
- 20.	- 35.	-	'capitis' pro 'capiis'.
- 25.	- 4.	-	'enim' pro 'enium'.
- -	- -	-	'cotidie' pro cot die'.
- 32.	- 10.	-	'iniuriae' pro 'inur ae'.
- 33.	- 11.	-	'non null'. pro 'non nill'.
- 54.	- 29.	-	'scriptum est' pro 'scriptus est'.
- 60.	- 33.	-	'ein' pro 'en'.
- 62.	- 37.	-	'Q. Metello' pro 'Q. Metelli'.

Typis H. Neubürgeri Dessaviensis.

Fichte, J. H., **System der Ethik.** Erster kritischer Theil. Auch unter dem Titel: die philosophischen Lehren von Recht, Staat und Sitte in Deutschland, Frankreich und England von der Mitte des 18. Jahrhunderts bis zur Gegenwart dargestellt. gr. 8. geh. 4 Thlr.

Desselben Werkes zweiten Bandes erste Abtheilung: die allgemeinen ethischen Begriffe und die Tugend- und Pflichtenlehre dargestellt. gr. 8. geh. 1 Thlr. 18 Ngr.

Desselben Werkes zweiten Bandes zweite Abtheilung: die Lehre von der Rechts-, sittlichen und religiösen Gemeinschaft oder die Gesellschaftswissenschaft dargestellt. gr. 8. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

Fortune, Robert, **Reisen in China** (enthaltend dessen dreijährige Wanderungen in den nördlichen Provinzen China's in den Jahren 1843 bis 1846 und dessen Reise in die Theedistricte im Jahre 1848 ff.). A. d. Englischen übersetzt von Dr. J. Th. Zenker. Mit Kupfern und Karten. gr. 8. geh. 2 Thlr. 15 Ngr.

Galton, F., **Bericht eines Forschers im tropischen Südafrika.** A. d. Englischen. Nebst 5 Abbildungen in Thondruck, 1 Tafel mit 6 Kupfern und einer Buntdruckkarte. gr. 8. geh. 1 Thlr. 27 Ngr.

Geschichte der Frauen und ihrer Stellung in der menschlichen Gesellschaft bei allen Völkern und zu allen Zeiten. Eine Weihegabe für die Frauenwelt. Mit Abbildungen. gr. 8. geh. 24 Ngr.

Gioberti, V., **der moderne Jesuitismus.** Deutsch bearbeitet von J. Cornet. 3 Bde. gr. 8. geh. 5 Thlr.

Göschel, C. Fr., Unterhaltungen zur Schilderung Göthe'scher Dicht- und Denkweise. Ein Denkmal. 3 Thle. Neue wohlfeile Ausg. in 1 Bande. 8. geh. 1 Thlr.

Grote, G., **Geschichte Griechenlands.** Nach der zweiten Auflage deutsch von Dr. N. N. W. Meissner. Band 1 bis 6ten Bandes erste Abtheilung (die Bände 1 bis 11 des Originals enthaltend). Mit 11 Karten und 11 Plänen. gr. 8. geh. 28 Thlr. 22½ Ngr.

Gützlaff, Carl, **das Leben des Tao-Kuang**, verstorbenen Kaisers von China. Nebst Denkwürdigkeiten des Hofes von Peking und einer Skizze der hauptsächlichsten Ereignisse in der Geschichte des chinesischen Reiches während der letzten fünfzig Jahre. Aus dem Englischen. gr. 8. geh. 20 Ngr.

Hecquard, Hyacinth, **Reise an der Küste und ins Innere von Westafrika.** Veröffentlicht auf Veranlassung des Ministeriums der Marine und der Kolonieen. Aus dem Französischen. Mit Kupfern u. Karten. gr. 8. geh. 2 Thlr. 27 Ngr.

Huc (früherer apostol. Missionar in China), **das chinesische Reich.** Deutsche Ausg. 2 Thle. Nebst einer Karte. gr. 8. geh. 1 Thlr. 12 Ngr.

Inscriptionis Rossettanae hieroglyphicae decretum sacerdotale. Accuratissime recognovit, latine vertit, explicavit, versione graeca contulit atque composuit, glossario instruxit Maximilianus Adolphus Uhlemann, Philos. Doctor, Societ. Litt. Orient. Germ. Sod. 4. geh. 4 Thlr.

Jacobs, Fr., **Personalien.** Zweite wohlfeile Ausgabe. 8. geh. 1 Thlr. 7½ Ngr.

Knötel, A., **de pastoribus qui Hyc-sos vocantur deque regibus pyramidum auctoribus.** Commentatio historico-chronologica. gr. 8. geh. 10 Ngr.

Koch, M., **die Alpen-Etrusker.** gr. 8. geh. 15 Ngr.

Krause, G., Herz. Anhalt. Hofrath, **der fruchtbringenden Gesellschaft ältester Ertzschrein.** Urkundlicher Beitrag zur Geschichte der deutschen Sprachgesellschaften im 17. Jahrhundert. Nach den Originalien der Herzogl. Bibliothek zu Cöthen herausgegeben. gr. 8. geh. 3 Thlr.

Krehl, Dr. L., **de numis Muhammadanis in numophylacio regio Dresdensi asservatis commentatio.** gr. 8. geh. 24 Ngr.

Kruse, Th., **Indiens alte Geschichte.** Nach den ausländischen Quellen, im Vergleich mit den inländischen dargestellt und besonders hinsichtlich des Handels und der Industrie mit Rücksicht auf die neuesten Zeiten zuerst bearbeitet. gr. 8. geh. 2 Thlr. 22½ Ngr.

Lachmann, Dr. K. H., **Geschichte Griechenlands** von dem Ende des peloponnesischen Krieges bis zu dem Regierungsantritte Alexanders des Grossen. 2 Bände. gr. 8. geh. 3 Thlr. 15 Ngr.

Lane, E. W., **Sitten und Gebräuche der heutigen Egypter.** Aus dem Englischen übersetzt von Dr. J. Th. Zenker. Zweite mit Zusätzen vermehrte Ausgabe. 3 Theile in einem Bande. 16. geh. 2 Thlr. 15 Ngr.

Layard, A. H., **Niniveh und Babylon.** Nebst Beschreibung seiner Reisen in Armenien,

Kurdistan und der Wüste. Uebersetzt von Dr. J. Th. Zenker. Mit d. Bildniss des Verfassers, vielen Illustrationen u. zwei Karten. gr. 8. geh. 6 Thlr.

Layard, A. H., **Ninive und seine Ueberreste.** Nebst einem Berichte über einen Besuch bei den chaldäischen Christen in Kurdistan und den Jezidi oder Teufelsanbetern, sowie einer Untersuchung über die Sitten u. Künste der alten Assyrier. Deutsch von Dr. N. N. W. Meissner. 2. wohlf. Ausg. Mit 94 Illustrationen, 6 Plänen, einer Karte und einem Nachtrage von Prof. Dr. G. Seyffarth, über die ägyptischen Alterthümer in Nimrud und das Jahr der Zerstörung Niniveh's. gr. 8. geh. 2 Thlr. 15 Ngr.

Layard, A. H., **populärer Bericht über die Ausgrabungen zu Ninive.** Nebst der Beschreibung eines Besuches bei den chaldäischen Christen in Kurdistan und den Jezidi oder Teufelsanbetern. Nach dem grösseren Werke von ihm selbst abgekürzt. Deutsch von Dr. N. N. W. Meissner. Mit allen Kupfern des grösseren Werkes. gr. 8. geh. 1 Thlr. 15 Ngr.

Lorenz, Mag. Chr. G., **Chronik der Stadt Grimma.** 1. u. 2. Heft. Mit einem Plane der Stadt, 3 Kupfern und einem Grundrisse. gr. 8. geh. 1 Thlr. 2 Ngr.

Lukaszewicz, Joseph, **Geschichte der reformirten Kirchen in Lithauen.** 2 Bde. gr. 8. geh. 2 Thlr. 15 Ngr.

Lynch, W. F., Bericht über die Expedition der Vereinigten Staaten nach dem Jordan und dem todten Meere. Nach der zweiten Auflage deutsch bearbeitet und mit dem officiellen botanischen Berichte versehen von Dr. N. N. W. Meissner. Neue wohlfeile Ausgabe. Mit 26 Kupfertafeln u. 2 Karten. gr. 8. geh. 2 Thlr.

Mickiewicz, Adam, **eine biographische Skizze.** gr. 8. geh. 6 Ngr.

Mundt, Theodor, **Macchiavelli** und der Gang der europäischen Politik. Zweite vermehrte Ausgabe. gr. 8. geh. 1 Thlr.

Neigebaur, J. F., **die Insel Sardinien.** Geschichtliche Entwickelung der gegenwärtigen Zustände derselben in ihrer Verbindung mit Italien. Zweite vermehrte Ausgabe. Nebst 12 Kupfern und einer Karte von Sardinien. gr. 8. geh. 2 Thlr.

Nork, F., Andeutungen eines Systems der Mythologie, entwickelt aus der priesterlichen Mysteriosophie und Hierologie des alten Orients. gr. 8. geh. 2 Thlr.

Gesammelte Werke des Grafen August von Platen. Sechster und siebenter Band. A. u. d. T.: Poetischer und literarischer Nachlass des Grafen August von Platen. Gesammelt u. herausgegeben von Johannes Minckwitz. 2. Bände. 16. geh. 1 Thlr. 22½ Ngr.

Quarante Questions, adressées par les docteurs juifs au prophète Mahomet. La texte turc avec un glossaire turc-français, publié sous les auspices de la société orientale d'Allemagne par J. Th. Zenker. Vienne. Imprimerie de la cour impériale royal et d'état. gr. 8. geh. 2 Thlr. 6 Ngr.

Reichenbach, Dr. A. B., **neueste Volksnaturgeschichte des Thierreichs** für Schule und Haus. Neue Auflage. 2 Bde. Mit 272 fein color. Tafeln Abbildungen. 4. geh. 10 Thlr.

Von dem hohen K. K. östreichischen Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts durch hohen Erlass empfohlen.

Reichenbach, Dr. A. B., **neueste Volksnaturgeschichte des Pflanzenreichs** für Schule und Haus oder zweite völlig umgearbeitete, verbesserte und sehr vermehrte Auflage des 1831 zuerst erschienenen und später zum zweiten Male ausgegebenen Naturgeschichte des Pflanzenreichs oder Abbildung u. Beschreibung der wichtigsten in- und ausländischen Pflanzen, mit vorzüglicher Berücksichtigung ihres Nutzens und Gebrauchs. Nebst einer Einleitung in die Pflanzenkunde und 92 fein illum. Tafeln. gr. 4. 10 Thlr. 15 Ngr.

Rönnefahrt, J. G., **Goethe's Faust und Schiller's Wilhelm Tell** nach ihrer weltgeschichtlichen Bedeutung und wechselseitigen Ergänzung. gr. 8. geh. 1 Thlr. 7½ Ngr.

Rönnefahrt, J. G., **Schiller's dramatisches Gedicht Wallenstein.** Aus seinem Inhalt erklärt. gr. 8. geh. 20 Ngr.

Schilling, Prof. Dr. Br., **der kirchliche Patronat** nach canonischem Recht und mit besonderer Rücksicht auf Controversen dogmatisch dargestellt. gr. 8. geh. 24 Ngr.

Schultz, Ch. L. F., geh. Regierungs-Rath etc., Untersuchung über das Zeitalter des römischen Kriegsbaumeisters Marcus Vitruvius Pollio. Herausgegeben von O. Schultz, Ingenieur-Lieutenant. gr. 8. geh. 12 Ngr.

Squier, E. G., **Schilderung Nicaragua's** in Bezug auf sein Volk, seine Natur und seine Denkmäler. Reiseskizzen a. d. J. 1849 und 50. Nebst einer Abhandlung über den projectirten interoceanischen Kanal und einer kurzen Geschichte Central-Amerika's. Aus dem Englischen übersetzt von Ed. Höpfner und mit einem Vorworte begleitet von Karl Ritter. Mit zahlreichen Illustrationen und mehreren Karten. gr. 8. geh. 6 Thlr. $22\frac{1}{2}$ Ngr.

Stephens, John L., Reiseerlebnisse in Central-Amerika, Chiapas und Yucatan. Nach der 12. Aufl. ins Deutsche übertragen von Ed. Höpfner. Mit 1 Karte, Plänen und zahlreichen Illustrationen. gr. 8. geh. 9 Thlr.

Stephens, John L., Begebenheiten auf einer Reise in Yucatan. Deutsch von Dr. N. N. W. Meissner. Mit 116 Abbildungen, 16 Plänen und einer Karte von Yucatan. gr. 8. geh. 12 Thlr.

Tennent, J. E., **das Christenthum in Ceylon**, dessen Einführung und Fortschritt unter den Portugiesen, Holländern, den britischen u. amerikanischen Missionen; nebst einer geschichtlichen Uebersicht über den brahmanischen u. buddhistischen Aberglauben. Uebersetzt v. Dr. J. Th. Zenker. Neue wohlfeile, mit einer Einleitung von K. Graul, Direktor der evangelisch-lutherischen Missionsanstalt zu Leipzig, vermehrte Ausgabe. Mit Kpfrn. gr. 8. geh. 1 Thlr.

Thesaurus commentationum selectarum et antiquiorum et recentiorum illustrandis antiquitatibus christianis inservientium. Recudi curavit, praefatus est, appendicem literariam et indices adjecit M. J. E. Volbeding. I, 1. 2. II, 1. 2. gr. 8. geh. 4 Thlr. 12 Ngr.

Tornauw, Nicolaus von, kaiserl. russ. wirkl. Staatsrath, Oberprocurator des dirigigenden Senats etc. etc., **das moslemische Recht.** Aus den Quellen dargestellt. gr. 8. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.

Uhlemann, Dr. M. A., **Philologus aegyptiacus** sive explicatio vocum aegyptiacarum e scriptoribus graecis romanisque collectarum. gr. 8. geh. 8 Ngr.

Vaux, W. S. W., M. A. Assistent in der Abtheilung der Alterthümer am britischen Museum, **Ninive und Persepolis.** Eine Geschichte des alten Assyriens und Persiens nebst Bericht über die neuesten Entdeckungen in diesen Ländern. Uebersetzt von Dr. J. Th. Zenker. Neue wohlfeile Ausgabe. Mit vielen Abbildungen und einer Karte. gr. 8. geh. 2 Thlr.

Volbeding, J. E., **Feierabende.** Eine Reihe kleiner Erzählungen für die erwachsene Jugend und ihre Freunde. 8. geh. 1 Thlr.

Volbeding, J. E., index dissertationum programmatum et libellorum, quibus singuli historiae N. T. et antiquitatum ecclesiasticarum loci illustrantur. gr. 8. geh. 1 Thlr. 15 Ngr.

Weisse, Prof. Dr. Chr. H., **die Christologie Luthers** und die christologische Aufgabe der evangelischen Theologie. Zur dogmatischen Begründunp der evangelischen Union. Zweite mit einer Abhandlung über progressive und conservative Union, Zusätzen und Verbesserungen vermehrte Ausgabe. gr. 8. geh. 1 Thlr. 5 Ngr.

Worsaae, J. J. A., **die Dänen und Nordmänner** in England, Schottland und Irland. Deutsch von Dr. N. N. W. Meissner. Mit 51 Abbildungen und 3 Karten. gr. 8. geh. 2 Thlr. 10 Ngr.

Wuttke, H., die Aechtheit des Auszugs aus der Kosmographie des Aithikos geprüft. gr. 8. geh. 12 Ngr.

Wuttke, H., **die Kosmographie des Istrier Aithikos.** Im lateinischen Auszuge des Hieronymus, aus einer Leipziger Handschrift zum ersten Male besonders herausgegeben. 2. vermehrte Ausgabe. gr. 8. geh. 2 Thlr.

Druck von Fr. Rückmann in Leipzig.